Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Theologica Secvnda De Obsignatione Christi Et Credentivm

Dissertatio Theologica Secvnda :

Halae: Litteris Gebaverianis, [1754?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0001
DFG

a. B.
48. 6. 31.

64

279

Fa - 1092 (64.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0002
DFG

1) Sigis. Jac Baumgarten Institutionū Hermeneuticarum particula prima de sensu interpretatione scripturae sacrae

2) Sigism. Jac Baumgarten Institut. Hermeneutic particula secunda de sensu scripturae sacrae

3) Sigism Jac Baumgarten Institut Hermeneutic. particula tertia

4) Sigismund Jac. Baumgarten Institut Hermeneutic. particula quarta, quam defendet Augustus Fridr Ulr Arath

5) Joh. Sigism Sommeri dissertatio Theologica prima de obsignatione Christi et credentium

6) Carl August Struensee dissertatio Theologica secunda de obsignatione Christi et credentium

7) Gotth. Gust Ulr dissertatio Theologica tertia de obsignatione Christi et credentium

8) Carl August. Struensee meditationum philosophicarum de mediis cognitionem mortuam reddendi vivam disputatio prior

9) Joach. Just. Breithaupti epistolarum Antipelagianarum pars secunda

10) Wilh. Christ. Just. Chrysanderi commentatio de Hetaeso non tam hypocrita quam perfrictae frontis homine

11) Wolfgang Ulrich Justinian Arzneigium

12) Georg. Benjamin dissertatio de loco Joh. V. 4 commutandi

13) Joh Christoph Ebel de fido Germanico

14) Joach Hen Regenherth dissertatio medica de noxio et salutari effectu in corpus humanum

15) Fridr Ulaxim Ulrich dissertatio philosophica de methodo scientiae

16) Gotth Fridr Oelfeld dissertatio de tribus voluptate avaritia et superbia in philosophia Moralis impostoribus hujus usq felicius profligandis

17) Joan Hen. Knape de acido pruss in animalibus

18) Joh Fred Stiebritz Commentatio de conatuum Hen. Guilielm. Ludolfi circa ecclesiae orientalis salutem

19) Carl Wendt de Asthmatis vera pathologia et rationali therapia

20) Wilh. Ulrich Bruno opus sensu detur et non detur ius naturae exponit

21) Joh Jan Schumanni animadversiones in recentem rationis sufficientis controversiam

22) M Paulus Jacob Joerdens de usu pericoparum Evangelicarum in ecclesiis nostris

23) Christoph August. Hermann de haereseos Paulino in epistola ad Titum cap. I. v. 10

24) August. Benedict Michaelis dissertatio juris ecclesiastici de beneficio a latere

25) Jac Ostneri Jac Schmidii et Rudolf Saenftleri Dissertatio physico-medico Mathematica de termino vitae

26) Joh. Phil. Carrach exercitatio iuridica de necessario litteratura rudiorae Auctore

27) Sigism. Jac. Baumgarten Comentatio historica-Theologica de solemnitatibus Christo nato sacrorum originibus

28) Paul. Ludouic. Chrysander commentatio Theologica de actionibus indifferentibus

29) Joach. Frid. Leister meditationum de cognatione naturali mecum Fanatismo disputatio prior

30) Joh. Valent. Merbitzii biga commentationum quarum una agit de infantibus suppositiis altera de nymphis

31) Joh. Ant. Schmeizer de eruditione synoptica scholis inferioribus perutili commentatio altera

32) Joh. Ant. Schmeizer de eruditione synoptica scholis inferioribus perutili

33) Carl. Frid. Brodhag dissertatio meditationes philosophicae de logica scientiarum philosophicarum prima

34) Sigism. Jac. Baumgarten commentatio ad difficiliora verba Rumi capitis

35) Martin. Schmeikel enarratio sollemnium quibus memoria Christi in lucem editi antiquitus celebrata est

36) Joh. Jancker de mense dregue Christi nati memoriae antiquitus imperato

37) Joh. Christoph. Cramer de Cl. T. Ciceronis Tusculana oratio

38) M. Joh. Mich. Gasseri Suetonius vindicatus

39) Christ. Augustt. Hausenii novi projectus in historia electricitatis

40) Joh. Henr. Calenbergii Grammatica linguae graecae vulgaris quae hodiernae ecclesiae Graecae vernacula est in tabulis synopticis

41) D. Joh. Henr. Calenbergii Paradigmata linguae graecae quae hodiernae ecclesiae Graeca vernacula est

42) Henr. Schultzii Grammatica Hindostanica quam D. Joh. Henr. Calenberg edidit addita praefatione de suscipienda barbarorum linguarum cultura.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0004
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0006
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0007
DFG

DISSERTATIO THEOLOGICA SECVNDA

DE

OBSIGNATIONE CHRISTI ET CREDENTIVM:

QVAM,

AVXILIANTE SVMMO NVMINE,

SVB PRAESIDIO

ADAMI STRVENSEE,

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORIS PVBLICI,

PASTORIS AD AEDEM D. VLRICI ET GYMNASII HALENSIS SCHOLARCHAE,

PATRIS ET PRAECEPTORIS

OMNI PIETATIS CVLTV

AETERNVM PROSEQVENDI,

D. XII MART. M DCC LIV.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA REGIA

ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIET

CAROL. AVGVSTVS STRVENSEE,

HALENSIS.

HALAE,

LITTERIS GEBAVERIANIS.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0009

DFG

DE OBSIGNATIONE CREDENTIVM PASSIVA ET ACTIVA.

§. XXXIX.

Enucleatis hucusque notionibus sigillorum biblicis, expositaque Christi, Seruatoris nostri, obsignatione; nunc tandem reliqua duo momenta, iusto, vt decet, pertractabimus ordine, *de obsignatione credentium et passiua et actiua locuturi.* Dicendorum ordo.

§. XL.

Passiuam credentium obsignationem in sequentibus potissimum sacri codicis fundatam ac stabilitam deprehendimus effatis. A Paulo 2 Cor. I, 22 Deus vocatur, ὁ σφραγισάμενος ἡμᾶς, et ab eodem Ephes. I, 13 Christo vere vniti dicuntur ἐν Χριστῷ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, nec non c. IV, 30, ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ τοῦ Θεοῦ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. Adpellantur denique homines Apocal. IX, 4, οἵτινες οὐκ ἔχουσι τὴν σφραγῖδα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν. *) Obsignatio passiua.

§. XLI.

*) Celeberrimi Theologi de obsignatione credentium vel fusius vel parcius exposuere. Inter quos praecipue numerandi sunt D. IO. CONR. DANNHAVERVS, *in Disputat. Theolog.* quae opera et studio M. CHRISTIANI MISLERI in lucem publicam Lipsiae MDCCVII emissae sunt; et quidem *Disp. XVI de signaculo Electorum, in locum 2 Tim. II, 5*: pag. 409. *Venerabilis Ordinis Theologici Hallensis Senior*, D. GOTTHILF AVGVST FRANCKE *in oratione Sacra Dom. II Aduentus Christi MDCCXXXVII habita, cui inscriptio von der Versiegelung der Gläubigen mit dem heiligen Geist auf den Tag ihrer Erlösung.* IOAN. PORSTIVS *in Theologia Viatorum Practica, lib. III. Sect. XL. p. m. 560.* IOACHIMVS LÜTKEMANN *in Vorschmack göttlicher Güte P. II, C.*

§. XLI.

Obsignati quinam?

Ad *Subiectum* obsignationis rite constituendum, Paulus ipse viam nobis monstrat tutissimam, obsignationem fidei effectum pronuncians. Eph. I, 13. Mortuus ergo delictis et peccatis hac priuatus est praerogatiua, Spiritui nempe sancto resistens et in carnis suae ambulans cupiditatibus; ideoque sine Christo et extra Dei communionem viuens. Ioa. XIV, 17. Ephes. II, 12. Hypocrita quidem, falsarii instar, sigilla ac litteras gerentis fictas, magnam viri boni speciem prae se fert externam: sed, interius a Spiritu sancto nec edoctus nec emendatus, sigillo vere diuino penitus caret. Fide tantum in Christum praediti, totoque ei animo addicti, Spiritu signati Numinis summi adpellari merentur. Hi etenim liberationem habentes a peccati culpa, ac poena, nec non eius dominio, per Christi sanguinem, a Patre indulgentissimo ac benignissimo omni vbertate diuina in rebus Christi caelestibus sunt fortunati. Manifestauit ipsis Deus altissimus pro diuite sua beneficentia voluntatis suae arcanum, donauitque eos sapientiae et patefactionis Spiritu; quo eum cognoscant, atque illustratis suae mentis oculis sciant, quid ipsis, vocatis ab eo, sperandum sit, et quam locuples glorioſaque sit haereditas, sanctis clementissime destinata. Ephes. I, 3. 7. 17. 18. Per Christum adeo rebus omnibus ditati sunt, confirmato in ipsis de Christo testimonio, vt nulla careant dote, patefactionem exspectantes Domini sui Iesu Christi, qui eos firmos reddit inculpatosque ad diem suum extremum. 1 Cor. I, 5. 6. 7. Reuocauit eos, delictis antea mortuos, Deus, misericordia diues, in vitam vna cum Christo simulque suscitauit, et in Christo Iesu in caelestibus collocauit, excellentem in eos demonstrans

XX. FRID. ADOLPH. LAMPE *in Geheimniss des Gnadenbundes, I. XII. p. 578.* DANIEL WYTTENBACHIVS *in Tentam. Theol. Dogm. Tom. II. Loc. IX. §. 1202.* HERMANNVS WITSIVS *in Oecon. Foed. Dei cum Hominib. Lib. III. c. XIII. §. XXXIV p. m. 517, 518.*

strans potentiae magnitudinem, quam pro sui egregii roboris virtute exseruit in Christo, eum ex mortuis suscitando. Eph. II, 4. 5. I, 18. 19. Quemadmodum itaque credentes epistola Christi adpellantur 2 Cor. III, 3, ἐγγεγραμμένη ὐ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι Θεῦ ζῶντος, ὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις, quia promissiones diuinas vera fide accipientes, praeceptaque diuina animis suis a Spiritu sancto inscribi sinentes, totam vitam ad legis normam instituunt, seque et interne et externe voluntati Domini sui obedientes praebent; vt legi et perspici possint ab omnibus, tamquam serui, Christo toto subiecti pectore: ita et sigillum Dei ipsis est impressum, vt et ipsi in veritatibus agnitis stabiliantur confirmenturque, atque aliis vt diuinum mancipium magis innotescant, ductum sancti Spiritus vnice sequentes. Imperatores mandata sua hisce duabus litteris M. D. i. e. manu diuina, olim subscripsisse dicuntur *), quo maior in iis appareret auctoritas, maiorique ea obseruarentur sollertia: multo magis de credentibus in Christum vere adfirmari potest, quod manu diuina et scripti et obsignati sint; quoniam opus sunt Dei, et creati ac conditi in Christo Iesu ad recta facta, quae praeparauit Deus, vt in iis versarentur. Eph. II, 10. Acceptos quoque eos sibi reddidit pater caelestis, per suum carissimum, ad laudem gloriosae suae beneficentiae, c. I, 6, nec non ipse magno eos habet in pretio, vultque, vt intacti ab hostibus ac securi permaneant omnibus vitae diebus.

§. XLII.

Cui debeatur obsignatio?

Debent itaque fideles Spiritum obsignantem *Deo, luminum patri*, a quo omne bonum donum, omneque perfectum munus in nos descendit. Iac. I, 17. Ipse est, qui nos confirmat in Christum, nosque vngit signatque, et Spiritus arrhabonem nostris dat animis. 2 Cor. I, 21. 22. Non solum suos elegit Deus ante orbem conditum, vt essent in conspectu

*) Conf. BOTSACCI *Moralia Gedanensia* p. 724.

suo sancti et inculpati, caritateque praediti; non tantum eos adoptioni per Iesum Christum destinauit, pro suae voluntatis arbitrio: sed eos etiam obsignauit sancto Spiritu promissionis, qui pignus est haereditatis nostrae. Eph. I, 4. 5. 13. 14. Donum hocce diuinum aestimandum merito praestantissimum: nosque eo maxime quidem inopes indigentesque sumus reputandi; sed tantum beneficium nequaquam merentes. Gratis eo Deus nos donat, misericordia erga nos miseros permotus singulari, ob Sponsorem nostrum, Iesum Christum, fide adprehensum. Fauori ergo paterno Dei, per Mediatorem summum nobis conciliati, missio Spiritus sancti in animos nostros vnice est tribuenda. Luc. XI, 13. Beneficii huius maximi vt firmo nitamur fundamento, Christus non solum semetipsum donum Dei adpellat: Ioh. IV, 10. c. III, 16. coll. Ies. IX, 6. Rom. VIII, 32: sed et ante abitum suum cruentissimum ex hoc mundo discipulis suis omnibusque ipsi vera adhaerentibus fide promittit, se Patrem suum exoraturum, vt alium ipsis det παράκλητον, cum ipsis perpetuo manentem; addit-que, Patrem Spiritum sanctum suo nomine absque omni dubio missurum esse, immo seipsum a Patre Spiritum pollicetur daturum, ad patrem quum abiisset, opusque redemtionis nostrae absoluisset. Ioh. XIV, 16. 26. c. XV, 26. c. XVI, 7. Patris Filiique actus per dationem et missionem exprimuntur*). *Datio*

*) Nuncii siue Angeli nomine Spiritum sanctum in sacro codice occurrere, viri doctissimi iam dudum animaduertere. Per Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei viui, eumdem intelligendum esse, VITRINGA demonstrat in Ἀναλύσει *Apocalypsios Ioannis Apostoli ad cap. VII. 2.* Angelum, quocum Zacharias locutus est c. I, 12-14, Spiritum sanctum denotare, indicarunt COCCEIVS aliique. De Gabriele idem adstruere allaborauit LAMPIVS *ad Ps. XLV. Exerc. III. §. 12.* Iudaei per Angelum, quem Deus misit ad liberandum Israelem ex Aegypto, passim שכינה intelligunt: sed veteres sub eius nomine non solum

Filii,

tio seu donatio de Spiritu sancto aliis etiam in locis scripturae sacrae adhibetur, vti videri potest Ies. XLII, 1. Ezech. XXXVI, 27. XXXVII, 14. Act. V, 32. Rom. V, 5. 1 Ioa. III, 24. Et quemadmodum summam ea Deitatis manifestat opulentiam, tantum impertientis bonum: ita voluntatem Dei erga nos significat ac prodit beneficentissimam, miseros nos peccatores, cuncta destitutos salute vera, diuites reddendi omni ex parte. Quapropter credentium animi Dei amore perfusi dicuntur, per Spiritum sanctum, ipsis datum. Rom. V, 5. *Mittitur* Spiritus sanctus non solum a Patre; sed etiam a Filio: quia est Spiritus Christi, Rom. VIII, 9. Gal. IV, 6, labiorumque eius, Ies. XI, 4, nec non sceptrum roboris eius. Ps. CX, 1. Merito suo ius eum mittendi, tamquam Mediator, adquisiuit, et post consummatam suam obedientiam in iustificatione sua hanc potestatem accepit; Act. II, 33; qua, ad dextram Dei sedens, ipso actu vtitur, Spiritum in animos, ipsi consecratos, effundendo, perque eum nomen suum manifestando, nec non in electis regnando, ipsos de gratia sua fraterna certiores reddendo, debitasque a populo suo laudes recipiendo.

§. XLIII.

Obsignationem Spiritus sancti, cuius fideles reddantur participes, ad *gratiam* eius referimus *inhabitantem*, *ipsi qua sanctificantur*, *confirmantur*, *recreantur* *). Spiritus sanctus autem

Obsignatio passiua quid?

Filii, sed etiam Spiritus sancti in nube praesentiam designarunt, vti post alios notauit HASAEVS *diss. de Spiritu sancto gloriam templi secundi aucturo* §. 15. 16. Nonnulli quoque Angelum, qui Christo nascente et resurgente apparuit, pro Spiritu sancto habent: immo non defuerunt, qui Spiritum sanctum Angelum esse, in quo nomen Iehouae est, Exod. XXIII, 21, protulere. Hae vero hypotheses difficultatibus non carent. Conf. FRIDER. ADOLPHI LAMPII *Com. Euang. sec. Ioa. Tom. III. p. 179.*

*) Momenta obsignationis primaria HERMANNVS WITSIVS *in Oeconomia foederum Dei cum Hominibus Libr. III. c. XIII. §. XXXIV.*

autem considerari potest tum per se vt annulus signatorius, quem a Deo tamquam signum beneuolentiae amori que erga nos amicissimi, atque a Christo, Sponso nostro benignissimo ac beneficentissimo, accipimus; tum secundum operationes, quas in credentibus suscipit. Res eodem redit. Priori modo donum est praestantissimum *); posteriori effectus huius doni signi-

XXXIV. p. m. 518, sequenti modo exhibet: „Obsignatio mysti-„ca per sigillum Spiritus consistit in communicatione efficaci di-„uinae illius lucis, puritatis, sanctitatis, iustitiae, bonitatis, bea-„titudinis et gaudii, quae in Spiritu sancto reperiuntur. Quarum „rerum prima lineamenta ducuntur in regenerationis initio, et „haec est conscriptio cordium per Spiritum. Sed postquam fides „in Christum coepit esse efficax, ea omnia confirmantur, robo-„rantur, augentur, penitus imprimuntur per Spiritum eumdem. „Atque in hac penitiori impressione consistit obsignatio: per cu-„ius contemplationem ad sensum fideles certi redduntur, se filios „Dei esse. „ *In exercitationibus sacris in Symb. Apost. Exercit. XXII. p. 390*, de eadem doctrina hisce vtitur verbis: „Obsigna-„tio quum sit similitudinis, quae in sigillo est, expressio in re „obsignata, qua dignoscitur illius esse, cuius impressum signum „gerit, vel qua instrumento alicui plena conciliatur fides; quid „hic per obsignationem intelligemus aliud, quam communicationem „efficacem diuinae illius lucis, puritatis, sanctitatis, iustitiae, bo-„nitatis, gaudii, quae in Spiritu sancto est: quibus euincitur, „hos tales Dei esse peculium, quod sacrum sibi et inuiolabile „praestabit, quibusque certi redduntur de reliquis promissionibus di-„uinae tam gratiae quam gloriae.

*) Patres ecclesiae non solum Spiritum sanctum donum per emphasin nominauerunt, quia est plenitudo donorum Dei, et quia omnes vtilitates, quae ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte dimanant; sed etiam hanc denominationem tamquam nomen personale et characteristicum ad ipsam essentiam eius retulerunt. Nimiis vero hac in re subtilitatibus vsi sunt, velaque vltra, quam fas est, laxarunt, vti ex disputatione PETAVII *in Theol. Dogm. de Trin. Libr. VIII. c. 3, contra* DANAEVM intelligere

significantur, ad nostram redundantes salutem et veram et aeternam. Quare duplici hoc respectu credentes in Christum de Spiritu sancto ita fatentur: *Accepimus*, tamquam donum exoptatissimum, *Spiritum ex Deo profectum.* Quid inde sequitur? Talis effectus, omni ex parte nobis salutaris, *vt sciamus*, vereque intelligamus ex testimonio Spiritus sancti interno, *quae nobis largitus est Deus.* 1 Cor. II, 12 *).

§. XLIV.

Pertinet haec obsignatio *ad vnctionem credentium spiritualem* **). Quemadmodum enim Christus secundum humanam suam

Pertinet obsignatio ad vnctionem.

ligere possumus. AVGVSTINVS ipse nonnumquam admodum incaute hac de re mentem suam expressit, ita vt aliis non parum ansam ad deuias aberrandi dedisse videatur: verumtamen se ipsum saepius correxit, quodque ad rem pertinet, recte docuit *lib. XV. de Trin. c. 19*, hisce verbis: *In tantum Spritus sanctus donum est, in quantum eis datur, quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini datur: quia Deus erat Patri et Filio coaeternus, antequam cuiquam daretur.* Conf. FRIDERICI ADOLPHI LAMPII *Comm. Analytico-Exeget. Euangelii secundum Ioannem. Tom. III. p. 146, 147.*

*) Cum sigillum vel de signaculo, quo aliquid obsignatur, vel de expressa inde signatura dicatur; hic Spiritus sanctus ceu signaculum, ab imagine, quam nobis imprimit, separari nequit, quia non dona eius solum, qualia sunt fides, certitudo gratiae, pax conscientiae et similia conferuntur; verum ipse etiam communicatur, gratiose nos obsignat, de gratia certos reddit; testimoniumque praebet Spiritui nostro, quod simus filii Dei, Rom. VIII, 11, dum in cordibus nostris clamat, Abba Pater. Vid. SEB. SCHMIDII *Diss. de obsignatione fidelium interna. Sect. II. §. 9.*

**) Obsignatio in sacris litteris notat firmiorem vnctionis gradum, quo euangelica promissa sic corroborantur, vt Spiritus sanctus per ea testimonium suum instar sigilli in renatis exserat efficacissime. - - - Admiranda est gratia, secundum quam Spiritus sanctus fideles interno testimonio viuo sustentat, expectantes adoptio-

suam naturam Spiritu sancto vnctus, donorumque eius infinitorum absque mensura potitus est: Ps. XLV, 8. Ies. XLII, 1. LXI, 1: ita et membra eius, cum ipso arctissimo vnita nexu, vnctionem ab eo, tamquam capite suo mystico, profectam, habent possidentque. 1. Ioa. II, 20. Ps. CXXXIII, 2. Ex quo etiam cognoscunt, se in Christo, Christumque in ipsis habitare, quod de Spiritu suo dedit ipsis. 1 Ioa. IV, 13. Nam qui Christi Spiritum non habet, is neque Christi est. Rom. VIII, 7. Haec potissimum ratio esse videtur, quare Paulus 2 Cor. I, 20. 21 Spiritum sanctum sub emblemate vnguenti, sigilli atque arrhae proposuerit: quoniam operationes eius, per haec symbola indicatae, inter se inuicem optime cohaerent, nec diuelli possunt. Vnctio hac ratione vt genus obseruaretur: ad quam obsignatio et arrhae donatio vt species essent numerandae. Sicuti enim vnctione Spiritus sancti, olei laetitiae, aegri sanantur, vulnera, a peccatis nobis inflicta, curantur, nos robore accingimur diuino, animi nostri tristes exhilarantur, grati acceptique nos Deo reddimur, tamquam odor in Christo suauis, immo in altissimum honoris culmen euehimur, analogiam quamdam cum Christo, triplici munere ornato, habentes: ita obsignatione eiusdem in veritate diuina, vim suam in nobis efficaciter exserente, stabilimur, in via salutis confirmamur, ad imaginem diuinam restauramur, de promissionibus euangelicis, implendis in nobis, nulli dubitamus, cum parrhesia filiali Deum adoramus, testimonium internum de statu gratiae nostro in nobis sentimus, et ad officia, Deo nostro rite praestanda, excitamur corroboramurque. Arrha vero Spiritus sanctus eam potissimum ob caussam adpellatur, quia, vt donum maximi pretii, a Deo nobis ex sola gratia concessum, propter Mediatorem nostrum, Iesum

adoptionem, liberationem corporis sui, consummandam. D. IOACH. IVST. BREITHAVPT *in institut Theol. Tom. II. Loc. III. Cap. III. §. 3. p. 206. 207.*

Iesum Christum, nullum in nobis relinquit dubium de nostra haereditate glorioſissima atque vtiliſſima, poſt obitum in futuro ſeculo certiſſime exſpectanda. Qui enim Spiritum, bonum ſummum atque infinitum, nobis impertiuit; is caeleſtia bona, per Christum adquiſita, non denegabit.

§. XLV.

Spiritus obſignans.

Spiritus obſignans, communem cum Patre et Filio eſſentiam, per ſpirationem aeternam et proceſſionem infinitam, ſupernaturalem et ineffabilem habens, Ioan. IV, 24, et Sanctus adpellatur, et vt πνεῦμα ἐπαγγελίας proponitur. Eph. I, 13. *Sanctitas* ipſi tribuitur, partim vt attributum diuinum, quod ipſi cum Patre et Filio commune et eſſentiale eſt, quodque illum ab omni imperfectione longiſſime ſeparat, ac ſummam eius indicat excellentiam, qua non tantum reliquas res ad vnum omnes ſuperat, ſed etiam bonum ſemper vult, eligit et peragit, malum contra ſemper auerſatur; partim vt opus oeconomicum in regno Dei, quo nos homines perditos ac deprauatos, peccati nempe ſorde maculatos, reddit ſanctos, imaginemque diuinam in nobis inſtaurat. Quae vltima ratio praecipue hoc loco in cenſum venit. Adparet enim tum ex ſacra ſcriptura, tum ex ſymbolo apoſtolico, denominationem ſancti tertiae deitatis perſonae non ob eſſentiam tantum, ſed potius ob ſanctitatis ſuae effectum, quem in hominibus producit, adponi. Satis enim conſtat, ſummum hocce Numen ſanctificationis opus in regno gratiae appropriatiue peragere, quatenus et iuſtitiam ac ſanctitatem Chriſti, Mediatoris noſtri, nobis imputatam a Deo patre vt iudice, confirmat, et efficaciam ex Chriſto, capite vnico, membris ipſius myſticis impertit atque in ea effundit. Πνεῦμα autem ἐπαγγελίας dicitur, quia non ſolum ipſe θεοπνευσίας auctor eſt, locuti enim ſunt homines Dei ſancti, ὑπὸ πνεύματος ἁγίᾳ φερόμενοι, 2 Petr. I, 21, et in veteri teſtamento per prophetas, Ioel II, 28. Ieſ. XLIV, 3. Ezech. XXXVI, 27. Zach. XII, 10, atque in nouo foedere per

Christum ipsum, Ioan. VII, 38. 39. Ioan. XIV, 16. XV, 26. XVI, 7. Act. I, 4. 5. II, 33, tamquam donum singulare et praestantissimum promissus est; sed etiam promissiones diuinas in animis credentium confirmat, illosque in omnem ducit veritatem, nec non promissionem de statu gratiae et caelesti haereditate in iis certam reddit, immo certissimam. Quare et πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως Eph. I, 17 nominatur, per cuius gratiam illuminantem Deum erga nos in Christo benignissimum atque indulgentissimum vere agnoscimus, cuiusque ope πεφωτισμένους ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ἡμῶν accipimus, vt cum maxima animi voluptate et παῤῥησίᾳ iucundissima sciamus, quaenam, et quanta, quamque firma vocationis nostrae spes sit, quaeque ac quantae sint diuitiae haereditatis Dei gloriae in sanctis Deoque vnice consecratis. Eph. I, 18.

§. XLVI.

Spiritus egreditur a Patre.

Spiritum huncce promissionis, vt ad nos veniat, et veritates diuinas in nobis obsignet, a Patre exire, Christus, doctor noster summus, Ioan. XV, 26 adfirmat. Nec enim mitti, nec in nobis inhabitare, nec de Christo testari posset, nisi a Patre egrederetur. Non me fugit, vocem ἐκπορεύεσθαι hoc loco relationem naturalem et essentialem Spiritus ad Patrem praecipue designare: sed eam, supposita ac firmiter stabilita doctrina de processione Spiritus sancti a Patre et Filio essentiali, deque persona Spiritus sancti a Patre et Filio distincta vereque diuina, relationem simul oeconomicam, cuius fundamentum essentialis egressio merito censenda est, inuoluere atque includere puto. Hoc modo Spiritus sanctus, veluti purus fluuius aquae viuae, splendidus tamquam crystallus, ἐκπορευόμενος, procedens ex throno Dei et Agni Ioanni Apocal. XXII, 1 ostensus est, Christusque promittit Ioan. VII, 37. 38, Spiritum sanctum, sicuti aquae viuae flumen, de ventre in ipsum credentis manaturum. Christus nempe vitae fons est, Ps. XXXVI, 10. Ier. II, 13: aqua viua denotat Spiritum sanctum. Ies. XLIV, 3 Ioan. IV, 14.

Ex

Ex Christo fideles hauriunt et accipiunt Spiritum sanctum, tamquam aquam ex Christo, Mediatore, fluentem. Hacque ratione instrumenta et vasa sunt, per quae et alii, per verbum eorum credentes, Spiritus sancti, eiusque donorum caelestium participes fiunt. Quemadmodum autem Ioannes Euangelista c. VII, 38 expressis adserit verbis, Spiritum sanctum tunc temporis, quo Christus donationem eius pollicitus est, non adfuisse, addita ratione, quia Iesus nondum glorificatus erat: ita et Saluator noster optimus, quando Ioan. XV, 26 discipulis suis praedicit, quod Spiritum sanctum sint accepturi, semet eum in futurum missurum, a Patre vero iam in praesenti egredi παράκλητον, certiores nos facit. Verba haec ex dispensatione regni diuini oeconomica sunt illustranda. Pater, vt supremus iudex, misericordia sua erga miseros homines, omnibus plane viribus destitutos, e miserrimo suo statu eluctandi, in aeterno iamiam pacis consilio, ob redemtionem Sospitatoris nostri promissam, et in tempore, a sapientia diuina constituto, tandem penitus implendam, omnibus ac singulis hominibus sufficientem ad salutem Spiritus sancti mensuram addixit atque indulsit. Quapropter post lapsum protoplastorum efficaciam suam Spiritus sanctus statim exseruit, primos parentes conuertendo, fidemque veram in Messiam, ipsis adnunciatum, in eorum animis producendo, cum impiis ante diluuium disceptando, semen sanctum in terris propagando et conseruando, atque in prophetis, tamquam Christi Spiritus, de passionibus et gloria eius testificando cet. Praecipue autem iis temporibus, quibus Christus in hunc mundum venit, et vadimonium pro nobis suscepit, nec non λύτρον, immo ἀντίλυτρον pro vniuerso humano genere in iudicio diuino exsoluit, varia Spiritus sanctus testimonia edidit, ex quibus luculenter adparet, se a Patre iam tunc temporis exire ad salutem hominum promouendam veram aeternamque. Repleuit namque Ioannem Baptistam ab vtero, descendit instar columbae, quum Iesus baptizaretur, vn-

guentum Christi humanae fuit naturae, conuertit discipulos ad voluntatem nutumque Iesu, Magistri indulgentissimi, commouit animos Christum audientium atque in admirationem stuporemque excitauit Christi miracula adspicientium cet. Egressus itaque a Patre Spiritus sanctus est ab initio mundi vsque ad Christi tempora, ob foedus Patrem inter et Filium sancitum, Christi licet redemtio nondum susceptа esset neque absoluta.

et a Filio.

§. XLVII.

Vti vero Spiritus sanctus ob processionem suam infinitam atque essentialem, quam et a Filio Dei ab aeterno habet, Spiritus Christi Rom. VIII, 9, Spiritus Filii Dei Gal. IV, 6, Spiritus labiorum eius Ies. XI, 4, sceptrum roboris eius, Psalm. CX, 3 dicitur: ita post exaltationem et sessionem Christi ad dextram Patris a Christo, tamquam Mediatore, aeque ac a Patre oeconomice egreditur. Nam per lytri exsolutionem plenariam ius sibi, Spiritum dandi, adquisiuit: effusioque Spiritus, sicuti signum victoriae eius plenae de tenebrarum regno, sic maxima pars mercedis laborum a Patre, summo iudice, acceptae, reputanda est; vt per Spiritum suum homines ad salutem partam ducere queat. Quam ob caussam Spiritus sanctus ex ore Christi, pro nobis mortui et post consummatam redemtionem in secula seculorum viuentis, vti anceps romphaea acuta, prodit, Apoc. I, 16. XIX, 15, postque ereptionem Messiae ex omni aerumna, quam nostro loco in se suscepit, celebratio Iehouae et exsaturatio mansuetorum per Spiritus sancti operationes saluberrimas sequitur, Ps. XXII, 26, 27; immo Pater Spiritum sanctum non tantum in nomine Filii, tamquam meriti Seruatoris nostri fructum excellentissimum, Ioan. XIV, 26; sed etiam Filius eumdem, tamquam promissum a Patre, ad nos mittit. Ioan. XV, 26. Act. I, 4. II, 33. Quare conducere nobis adfirmat Ioan. XVI, 7, quod ipse abeat; nisi enim abiisset ad Patrem per mortem et resurrectionem, Paracletus, seu Aduocatus ille, ad nos non venisset: quum autem profectus sit, ad

nos

nos certissime mittitur, vt operationes eius supernaturales ad emendationem nostram veram aeque ac ad salutem nostram aeternam experiri possimus. Luc. XXIV, 49. Ioan. XVI, 7.

§. XLVIII.

Spiritum a Patre ac Filio procedentem missumque ad nos *venire*, sacer codex vndique docet. Infunditur super nos Spiritus de excelso, tuncque opus iustitiae pax atque effectus iustitiae tranquillitas est et securitas, vsque in seculum. Ies. XXXII, 15. 17. XLIV, 3. Effusus ad nos venit, vt Aduocatus et Spiritus veritatis, qui caussam Dei in conscientia nostra, nostramque apud Deum agit: praecipue de Christo perhibet testimonium in nobis, glorificando ipsum et adnunciando nobis, quae a Mediatore nostro ad commodum ac felicitatem, toti humano generi partam, accepit, hacque ratione in omnem nos ducit veritatem, omni modo nobis salutarem. Ioan. XV, 26. XVI, 13. Quum autem Spiritus sanctus venire dicitur, illud de mutatione loci non est accipiendum, vti homines venire solent, quando de loco in locum progrediuntur. Est etenim Spiritus infinitus ac omnipraesens, Ps. CXXXIX, 6, et per praesentiam potentiae in caelo terraque omnia regit et conseruat. Iuxta praesentiam gratiae vero operationes suas diuinas in animis hominum exserit ac manifestat, eosque salutis, per Christum adquisitae, reddit participes. Quoties ergo Spiritum operantem atque efficaciam eius gratiosam in nobis experimur, toties ad nos venit, ac nouo opere nouoque effectu praesentiam suam indicat, instaurando in nobis imaginem diuinam, atque impertiendo nobis beneficia diuina, ex Christo, fonte salutis, saluberrima. Venit, dum arguit mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio. Ioan. XVI 6. Venit, dum dux viae nobis est. v. 13. Venit, dum nos, docet omnia, et suggerit nobis cuncta, quae Christus in verbo suo dixit. c. XIV, 26. Venit, dum testatur de Christo, eumque glorificat. c. XV, 26. XVI, 14. Venit, dum fide-

Spiritus venit.

les per eum efflorescunt velut gramen ac velut salices ad ripas aquarum. Iesa. XLIV, 4. Venit autem, missus quidem, sed tamen sponte secundum suum beneplacitum, vt nostram vnice promoueat felicitatem, nomenque suum glorioſum in nostrum manifestet commodum infinitum.

§. XLIX.

Spiritus accipitur.

Venientem credentes in se *suscipiunt* Spiritum, per gratiam ipsius praeuenientem et operantem ex morte spirituali erepti ac suscitati, veraque in Christum fide donati, qua cum Seruatore suo arctissimo vniuntur nexu, cuius sibi applicant iustitiam meritoriam, ob quam peccata omnia ipsis a Deo conciliato remittuntur, ipsique in numerum filiorum Dei recipiuntur; et, vt tantorum beneficiorum reddantur certiores, Spiritus Dei, tamquam testis veraciſſimus, ipsis impertitur, quem eadem, qua Christo adhaerent, fide accipiunt, cuiusque regimini sese tradunt, cuius ductum sequuntur, cuius testimonium in se sentiunt, cuius institutioni obedientes praebent aures, cuius denique donis implentur, in quibus adquiescunt et delectantur. Venit Spiritus sanctus secundum amorem suum vniuersalem, quo omnes prosequitur homines, ad incredulos quoque, qui contra veritatem diuinam semet ipsos obdurant, et, vt filii tenebrarum, in peruersitate ambulant; vultque radiis suis coecos eorum animos illustrare, mentemque Deo benigniſſimo inimicam conuertere, atque emendare: Ioan. XVI, 8: sed, quia gratiae eius praeparanti ac efficaciae praeuenienti morose resistunt; ideo Christus ipse pronunciat, quod Spiritum sanctum accipere haud possint, quia nec vident illum, nec eum cognoscunt. Ioan. XIV, 17. Quibus verbis ea adprime respondent, quae auctor libri sapientiae c. I, 3. 4. 5 sequenti modo edidit: *Prauae*, inquiens, *cogitationes alienant a Deo, et probata illius potentia arguit insipientes: siquidem in malitioſum animum non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Sanctus enim disciplinae Spiri-*

Spiritus fugit dolum, et ab imperitis cogitationibus abigitur, et iniustitiae aduentu confutatur. Credentes tantum operationes diuinas admittunt, quam ob causſam ipſi ſoli Spiritum ſanctum recipere in ſacro codice leguntur. Diſcipulos ſuos adflauit optimus Seruator, eosque adlocutus eſt: *accipite Spiritum ſanctum.* Ioan. XX, 22. Reſipiſcentibus atque in Ieſu nomen credentibus promiſit Petrus, quod Spiritus ſancti donum accepturi ſint. Act. II, 38. Conf. c. VIII, 15. 17. 19. X, 47. XIX, 2. Ioan. VII, 38. Qui Ieſum exceperunt, et ex Deo geniti ſunt, illis non tantum ius ſeu poteſtas data eſt, vt filii Dei ſint facti: Ioan. I, 12. 13: ſed etiam Spiritum adoptionis acceperunt, per quem clamant, Abba, Pater! Rom. VIII, 15; dedit ipſis Deus, ipſique a Deo vera receperunt fide Spiritum fortitudinis, et caritatis, et frugalitatis, ſiue ſanitatis animi. 2 Tim. I, 7.

§. L.

Acceptus Spiritus *inhabitat* in animis credentium, tamquam in templo ſuo, 1 Cor. III, 16, manetque cum iisdem in omnem aeternitatem, vt opus gratiae in fidelibus per adplicationem ſalutis continuet, perficiat, atque conſummet. Ioan. XIV, 17. Denotat haec inhabitatio vnionem credentium cum Spiritu ſancto intimam. Non enim dona tantum Spiritus accipiunt, ſed ipſe quoque Spiritus eſt in ipſis, immo corpora ipſorum templa ſunt Spiritus Dei. 1 Cor. VI, 19. Eumdem poſſident Spiritum, quo Chriſtus eſt vnctus atque obſignatus. 1 Ioan. IV, 13. Modus huius vnionis eſt plane ſingularis. Scriptura ſacra de veritate ac certitudine eiusmodi coniunctionis Deum inter atque homines fideles nos dubitare non ſinit: ſed ita ea eſt comparata, vt non, niſi ab iis, qui inhabitatione diuina fruuntur, recte intelligatur; quare et myſtica ſeu arcana omni iure adpellatur. Nec ipſis Chriſto vere addictis eadem penitus cognita eſt et perſpecta, quare vita ipſorum, quam ex efficacia Spiritus cum ipſis vniti degunt, cum Chriſto abſcondita

Spiritus habitat in nobis.

dita in Deo dicitur; post hanc vitam prorsus manifestanda. Col. III, 3. 4. Inter annulum signatorium et digitum, eumdem gerentem, nec non inter sigillum expressum et rem eodem signatam, intima intercedit relatio: eamdem deprehendimus relationem, quando Spiritus sanctus per inhabitationem suam nobiscum vnitur *). Sub variis haec arcana coniunctio in sacro codice nobis proponitur emblematibus. Requieſcit Spiritus Dei et gloriae super credentibus, 1 Petr. IV, 14, quemadmodum Spiritus Iehouae, Spiritus sapientiae et intelligentiae, Spiritus consilii et potentiae, Spiritus scientiae et reuerentiae Iehouae super Christo quieſcit. Ies. XI, 2. Illuminati donumque gustantes caeleste participes facti sunt Spiritus sancti. Hebr. VI, 4. Ita habent Spiritum Christi, vt ex

*) „Modus huius vnionis exacte sciri a mortalibus non potest: Eph. „V, 31. 32. 1 Ioan. III, 2: describitur tamen a terminis vnio„nis, seu subiectis vniendis, mediis, forma, et fine vnionis, ita „vt constare possit, non esse vnionem essentialem, ratione modi „sic dictam, qualis est surculi, qui coalescit cum trunco in vnam „numero essentiam arboris: neque communem illam omnium „hominum vnionem cum substantia Dei, per naturae humanae „conditionem, de qua Act. XVII, 28: neque substantiae huma„nae, et accidentis, seu operationum et motuum diuinorum tan„tum; sed vniri substantiam hominis fidelis cum substantia toti„us S. S. Trinitatis, per iuncturam substantiae ad substantiam, „sine extensione aut contractione essentiae diuinae, sola modi „variatione, qui pro beneuola voluntate Dei diuersus est: tum „in hac, tum in aeterna vita. Terminus huius vnionis ex parte „Christi Θεανθρώπε non est sola diuina, sed et humana eius na„tura, cui praeter vnionem illam, quae fit in baptismo et sum„tione eucharistiae, etiam fide extra sacramentum iungimur, quo„ad substantiae nostrae peculiarem quandam approximationem.„ Haec habet HÜLSEMANNVS *in breuiar. p. 53.* Conf. DANNHAVERI *Hodos. p. 864.* BREITHAVPTI *instit. theol. p. 209.* BVDDEI *instit. theol. mor. I. 1. 4. 85. seqq. praecipue §. 88.* GLASSIVS *in seinem Bedenken über die Helmstädtische Contrauers. p. 88.*

ex inhabitatione eius certissime sint persuasi, se Christi esse peculium. Rom. VIII, 9. Adpetitum eorum in siccitatibus ita Iehoua saturat, artusque eorumdem ita curat, vt, ex vnione Spiritus sancti cum iis, similes sint irrigui viridarii aut aquae originis, cuius latices non sunt fallaces. Iesa. LVIII, 11. Ex aqua illa bibunt, quam Christus ipsis dat, quaeque symbolum est Spiritus sancti, nec sitiunt in aeternum; sed aqua illa, quam Christus fidelibus suis impertit, in ipsis est fons aquae, salientis in vitam aeternam. Ioan. IV, 14. c. VII, 39. Inhabitatio itaque non solum perpetuam Spiritus apud credentes mansionem in his terris denotat; sed continuabitur eadem etiam in omnia saecula, quando Deus triunus erit omnia in omnibus. Hoc etenim foedus Deo cum fidelibus suis intercedit, vt Spiritus eius nunquam in omnem aeternitatem ab iisdem recedat. Iesa. LIX, 21. Obsignati sunt eodem vsque in diem redemtionis, Eph. IV, 30, et est arrha haereditatis eorumdem, Eph. I, 14, immo est Deus aeternus ipse, in aeternum suos in statu gloriae confirmans, exhilarans, omnem lacrimam ab oculis eorum abstergens, omnique bonorum vbertate eos implens, vt non esuriant amplius, neque sitiant, nec in eos cadat sol, neque vllus aestus. Apoc. VII, 16. 17.

§. LI.

Spiritus inhabitans efficaciam suam duplici potissimum modo in animis credentium generatim exserit. *Primo* enim Christum, vnicum verae aeternaeque salutis fontem, glorificat, testimonium de eo perhibens, quod vita nostra spiritualis et sempiterna ab eo tantummodo dependeat; donaque a Christo adquisita nobis ita adplicans, vt iisdem cum vera animi voluptate frui queamus. Sic amor Dei, quem erga nos eo commendat, quod Christus pro nobis mortuus est, per Spiritum sanctum in animis credentium effusus est, Rom. V, 5. 8, vt gustent et videant, quam bonus sit Iehoua, quamque felix sit homo, qui ei confidit. Ps. XXXIV, 9. Est omnino mutua

Spiritus adplicat nobis dona euangelii.

Deum inter, et hominem fide iustificatum, amicitia veracissima, suauissima. Deus paterno adfectu diligit hominem ob Christi iustitiam ipsi imputatam, curam illius gerit paternam, eumque omnibus bonis caelestibus in Christo instruit. Homo autem a sordibus peccatorum purificatus Deoque vere addictus et consecratus, atque in numerum filiorum Patris caelestis receptus, summum Numen, patrem benignissimum, summo atque intimo amplectitur amore, omniaque animi sensa ad eum dirigit, nec gratum suum animum, pro tot tantisque a Patre in Christo indulgentissimo concessis sibi beneficiis, vnquam satis declarare ac re ipsa satis demonstrare potest. Internuncius tantae felicitatis est Spiritus sanctus, qui non tantum pacem, a Deo decretam et per Christum recuperatam, efficaciter offert et salutariter confert, sed etiam fideles de pace, quam vere adepti sunt, certiores reddit, et ex gustu suauissimo, quem ob Christum in communione Dei sentiunt, animos eorum exhilarat, corroborat, confirmat atque ad Dei laudes maximopere impellit. Vnde fit, vt per Christum ex impulsu Spiritus sancti aditus ad Patrem ipsis pateat, ipsique accedant cum παῤῥησίᾳ et libertate loquendi ad thronum gratiae, et consequantur misericordiam, inueniantque gratiam ad tempus opportunum. Hebr. IV, 16. Effundunt cum animi fiducia omnes animi dolores in sinum Patris, confidenterque poscunt vberiorem ex Christo, fonte salutis, gratiae diuinae mensuram, certissime ex Spiritus sancti testimonio interno persuasi, preces suas, fide in Christum fundatas, Deo minime displicere, sed gratas potius esse acceptasque, Deumque, quidquid habet, id omne cum filiis suis libenter communicare, et quidem eo ordine, tempore et gradu, quem pro sua immensa sapientia ipsis expedire cognoscat. Quam ob caussam tranquilla gaudent conscientia placatissimaque quiete, illuminatis mentis perspicientes oculis, Patrem, ipsis reconciliatum in Christo, sapientissime cuncta disponere atque ad eum dirigere finem,

finem, vt ipsis etiam ea, quae aduersa videntur, sint salutaria. Immo experientia quotidiana docentur et confirmantur, ipsos aduersarios, licet inuitos atque ignorantes, ipsorum salutem et commodum promouere. Vnde securitas in Deo dulcissima maximaque in Deum fiducia omni tempore omnique occasione fluit. Cubant itaque in sinu Patris altissimi et potentissimi, et dormiunt cum requie blandissima in gremio diligentis ac dilecti Sponsi, Iesu Christi, in omnibus viis prouidentiae diuinae sese gubernandos committentes, omnique cupiditate sua praua abnegata, voluntati ac regimini Dei sapientissimi, benignissimi, semet ipsi tradentes. Phil. IV, 6. 7. Ita diuinitus animati solamen percipiunt diuinum in calamitatibus cunctis, quas, Christi vestigia prementes, in hoc saeculo patiuntur. Sicuti enim exundant perpessiones Christi in fidelibus; ita per Christum exundat quoque consolatio eorumdem. 2 Cor. I, 5.

§. LII.

Spiritus vires supernaturales conseruat.

Spiritus regenitorum animos exhilarans, quum dona euangelii ipsis adplicat eosque in fruitione bonorum caelestium conseruat, vt credentes omni laetitia atque pace spirituali impleantur viuaque aeternae haereditatis spe abundent, Rom. XV, 13, inhabitantem suam gratiam *porro* eo modo manifestat, vt vires, in regeneratione ipsis concessas, benigne conseruet, easque in dies adaugeat, atque hac ratione Christo fide addictos ad omne opus bonum perficiendum vi sua diuina impellat. Speciali itaque concursu efficaciam suam in fidelibus exserit, ne damnum capiant, nec iacturam felicitatis aeternae faciant, sed vt potius inculpati ad diem extremum reddantur et confirmentur. Est, qui inchoat rem bonam in nobis, quique eamdem absoluit, Phil I, 6, nosque a lapsu immunes seruat, tandemque in gloriae suae conspectu cum laetitia sistit inculpatos. Iud. v. 24. Quam ob caussam maxmo credentes odio erga quaeuis peccata implet, tenebras mentis adhuc residuas discutit, reliquias peccatorum inhae-

rentes supprimit, ne dominentur, verae pietatis obstacula remouet, contra Satanam, mundum et philautiam prauam pugnantes robore suffulcit potentissimo, motus animi voluntati diuinae excitat conformes, omnique tempore et modo inseruit fidelibus, vt in viis Domini iuxta normam diuinitus praescriptam fidenter et sincere ambulent, atque in virtutis studio maiores quotidie progressus faciant, nec non in vera animi paupertate et humilitate conseruentur, certissime persuasi, se viribus suis nihil boni, omnia vero, quae voluntati diuinae consentanea perpetrant, Spiritus gratiae efficaciissimae debere, neque ignari, ex sua ipsorum culpa multas sibi adhaerere sordes, multaque sese Spiritui operanti et concurrenti ponere impedimenta, quorum veniam et remissionem in vulneribus Christi quaerunt et adipiscuntur, omnis beneuolentiae diuinae, et laetitiae spiritualis, quin et roboris diuini fundamentum vnicum Seruatoris sui iustitiam, ipsis imputatam, vera fide contemplantes, et per hanc solam vitae aeternae gloriam exspectantes. Fideles ergo ex Spiritus impulsu non ad carnis libidinem viuunt, sed carnis actiones perimunt, et Dei Spiritu aguntur: Rom. VIII, 12. 13. 14: obtemperant Spiritui, neque carnis cupiditatem exsequuntur: Gal. V, 16: purgant semet ipsos ex concursu diuino validissimo ab omni et corporis et animi labe, sanctimonia perfungentes cum Dei metu; 2 Cor. VII, 1; suntque sinceri et innoxii ad Christi diem, pleni iustitiae fructibus, qui per Iesum Christum ad gloriam laudemque Dei pertinent, Phil. I, 11, in quibus praecipue Gal. V, 22 caritas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, lenitas et continentia numerantur.

§. LIII.

Dicendorum ordo.

Hisce generatim praemissis, nunc tandem singula obsignationis credentium passiuae momenta seorsim consideranda sunt, vt clarius constet, quanta beneficia sub hoc emblemate lateant, quantaeque praerogatiuae Christo adhaerentibus eodem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0030
DFG

dem insinuentur. Possem quidem hic latius excurrere, nec dissertationem, sed tractatum pleniorem et volumen amplum conscribere, si veritates obuias hucque pertinentes prolixius pertractare animus mihi esset: sed vela, quantum potero, contraham, sciagraphiam doctrinarum maximi omnino momenti altissimaeque indaginis breuem tantummodo subministraturus; quo ex paucis adpareat, omnium hominum feliciſſimos Spiritu sancto obsignatos iure meritoque esse adpellandos *).

§. LIV.

*) SVICERVS fusius docet, σφραγῖδα patribus 1) baptismum fuisse. Vocatur enim baptismus a CAESARIO *quaest. XII. p. 26*, σφραγὶς τῆς μυστικῆς τελειότητος, *sigillum mysticae perfectionis:* a BASILIO MAGNO *in exhortatione ad baptismum p. 481*, σφραγὶς ἀνεπιχείρητος, *sigillum non manu factum.* Cur autem baptismus σφραγὶς nominetur, de eo GREGORIVS NAZIANZENVS *orat. XL.* p. 639. hanc reddit rationem: Baptismum σφραγῖδα καλέμεν, ὡς συντήρησιν, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσιν, *sigillum vocamus, quia est conseruatio, ac dominationis significatio.* Aliam caussam huius baptismi appellationis adducit CHRYSOSTOMVS; *homil. III in II ad Corinth.* p. 566; dicit enim: Καθάπερ στρατιώταις σφραγὶς, οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται. κἂν λειποτακτήσῃς, κατάδηλος γίνῃ πᾶσιν. Ἰουδαῖοι μὲν γὰρ εἶχον σφραγῖδα τὴν περιτομὴν, ἡμεῖς δὲ τὸν ἀρρεβῶνα τοῦ πνεύματος. *Quemadmodum nota quaedam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur: quo fit, vt, si ordinem deserueris, omnibus perspicuus fias. Iudaei enim signi loco circumcisionem habebant: nos autem arrham Spiritus.* Conf. IOSEPHI BINGHAMI *orig. eccles.* libr. XI. c. I. §. VI: vbi ex CLEMENTE ALEXANDRINO contra CHRISTOPHORSONVM, BELLARMINVM, SELDENVM et alios multis disputatur verbis per σφραγῖδα veteres baptismum intellexisse. Consentientes habet VALESIVM *in not. in Euseb. lib. III. cap. XXIII*, et DALLAEVM *de confirmat. libr. II. cap. I. p. 110*; nec non TERTVLLIANVM *in apol. cap. 21*, et GREGORIVM NAZIANZENVM *orat. XL. de baptismo pag. 639.* Quae de sigillo sacramentali, more suo, solide et accurate scripsit DANHAVERVS, legi possunt *in lact. catech. tom. VIII. p. 186. seqq.*

§. LIV.

Spiritus sanctus est annulus signatorius.

I. Si Spiritum sanctum, in credentibus habitantem, vt donum diuinum maximum contemplamur, tunc sub symbolo *annuli signatorii considerari potest, quem Christus, Sponsus, sponsae suae, tamquam pignus in maiorem gratiae et adoptionis certitudinem largitur.* Christum nobis per fidem adplicamus et cum eo vnimur; ex vnione oritur communio. Vt vero vnionis et communionis cum eodem certiores reddamur, Spiritus sanctus, vt annulus signatorius, in tesseram amoris coniugalis Sponsi caelestis erga sponsam, multis modis fluctuantem variisque dubitationibus obnoxiam, gratiosissime nobis impertitur, vt firmissime sciamus, nos benignissimo ac blandissimo Sponso frui, qui nos feruentissimo prosequitur amore, cuique casta mente vitam omnem consecrare debemus. Vnio cum Christo ardua valde et mysterii plenissima est: quare Paulus, de Christo et ecclesia loquens, mysterium hoc magnum pro-

seqq. et in hodos. p. 1018. 2) Σφραγὶς etiam apud veteres denotat *manuum impositionem*, quae fiebat ad ordinationem, quia tum manum imponebant capiti, signum crucis etiam in capite consecrandi faciebant. DIONYSIVS AREOPAGITA, *cap. V. de eccles. hierarch. p. 314.* σαυροειδῆ σφραγῖδα vocat, et p. 312 explicat mysterium sacerdotalis consecrationis: Ἑκάστῳ αὐτῶν ἡ σαυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τῦ τελέντος ἱεράρχυ σφραγὶς. *Vnicuique eorum signum crucis a consecrante Episcopo inprimitur.* Hoc idem faciebant etiam in sacramento confirmationis, quae olim sola manuum impositione celebrabatur sine chrismate: vnde et σφραγιστθῆναι absolute significat *confirmationis sacramentum accipere per impositionem manuum.* 3) Apud recentiores Graecos σφραγὶς est pars illa panis, quae signaculo crucis pro more Graecorum, aut quadrato aut circulari, obsignata est; in quo est signum crucis cum litteris graecis Ἰησῦς Χριστὸς abbreuiatis: IC XC NIKA, *Iesus Christus vincit.* Ita vocem hanc *in liturgia* BASILII sumi, docet ALLATIVS apud SVICERVM *l. c.* Conf. FRID. ADOLPH. LAMPE *Geheimniss des Gnadenb. P. IV. Vol. II. p. 1205.*

pronunciat, Eph. V, 32. Fideles Christo iunguntur, vt arbori rami, Rom. XI, 17, vt viti palmites, Ioan. XV, 1, vt membra corporis capiti, 1 Cor. XII, 12, vt lapides fundamento, 1 Petr. II, 4. 5. Vti vero nulla hominum inter se arctior societas est, quam quando maritus vxorem ducit in matrimonium: ita placuit sapientissimo Numini sub figura coniunctionis matrimonialis vinculum, quod inter nos et Christum est, ob oculos saepius nobis proponere, vt vim et dulcedinem matrimonii spiritualis eo melius discamus ac perspiciamus, tamquam praeludium et exordium nuptiarum in futuro saeculo certissime celebrandarum. Apoc. XX, 9. Recipit Sponsus sponsam suam in communionem omnium, quae vt Mediator habet, bonorum, suosque, quacunque re egent, replet ex sua abundantia, immo quidquid cogitari bonum, vtile aut egregium potest, illud suis non denegat. Donum autem excellentissimum omniumque praestantissimum est Spiritus sanctus, tamquam annulus coniunctionis et fidelitatis aeternae, et tamquam signum amoris sui erga sponsam flagrantissimi vehementissimique. Effectus, qui ex datione atque acceptatione caelestis annuli oriuntur, sequentes potissimum sunt. 1) Spiritus sanctus, vnionem inter Christum et credentes confirmans, *testimonium veracissimum sponsae dilectae de praesentia et benignitate Sponsi amantissimi perhibet.* Ex hoc enim scimus, quod Christus maneat in nobis, ex Spiritu, quem nobis dedit, 1 Ioan. III, 14, ex eodemque Spiritu, quem nobis dedit, colligimus, quod in eo nos maneamus. Cap. IV, 13. 2) Spiritus, Christum in nobis glorificans, et donum diuinum, quin immo ipse Deus summus, *testis est perpetuus et omni exceptione maior summae Sponsi nostri caelestis excellentiae, felicissimaeque cum ipso nobis intercedentis vnionis.* Vnde sequitur, vt Christo coniunctus omnia censeat pro iactura prae praestantia cognitionis Sponsi ac Domini sui Iesu Christi. Phil. III, 8. 3) Spiritus certissimos nos reddit *de bonis, a Christo nobis largiter concessis*, quae possidе-

possidemus in communione cum ipso, quibus laeti fruimur, de quibus fidenter gloriamur, ex quibus blanda quies oritur, quaeque ad gratias euergetae et Sponso nostro beneficentissimo deuotas habendas maximopere nos impellunt. Quid suauius nominari potest, quam si sponsa cum intima animi fiducia exclamare potest: Dilectus meus mihi, et ego illius? Cant. II, 16. Gaudet fidelis in Iehoua, exsultat animus eius in Deo, quia induit eum vestibus salutis, pallio iustitiae amiciuit eum, tamquam sponsum administrantem, et veluti sponsam, ornantem se suis instrumentis. Ies. LXI, 10. 4) Docet tandem nos Spiritus, vti annulus a Sponso nobis missus ac traditus, quod *vnio* haecce mystica atque arcana sit *dignissima*, ob dignitatem et excellentiam eius, quocum hic iungimur, *proficua* quoque et *vtilissima*, ad nostram vnice tendens salutem, nec non *arctissima et plane inseparabilis*, robur nobis diuinum instillans, vt, si eodem recte vtamur, numquam non Sponso nostro adhaerere queamus: gratia etenim et pax perpetuo piis contingit, et electorum cura a Christo Sponso interrupte habetur, vt numquam a benefaciendo ipsis sese auertat, reuerentiam potius sui adferat animis ipsorum, vt non recedant ab ipso. Sap. III, 9. Ier. XXXII, 40. Horum omnium, quaeque huc spectant, beneficiorum Spiritus, tamquam annulus signatorius, testis est fidelissimus fideque dignissimus.

§. LV.

Spiritus est signum amoris Dei erga nos.

II. Annulus signatorius iis olim tradebatur, quos principes ac reges accessu ad se intimiori, et clementia sua peculiari dignos putabant, vsusque sigillorum praerogatiuam quondam prae aliis significabat; vti prolixius §. XLII ostendi. Ob Christum amore Dei, tamquam Patris nostri, fruimur. Spiritui sancto non solum debemus, quod paternus amor summi Numinis ad nos veniat; sed lumine suo diuino nos etiam instruit, vt eum rite cognoscamus; et vi sua omnipotenti animum

nostrum

nostrum praeparat, vt eumdem in nobis vere sentiamus, Rom. V, 5. Eph. II, 18; nec non *de fauore Dei erga nos immenso certiores nos reddit, immo certissimos.* Per connubium cum Iesu filii Dei euadimus: cuius quando sponsa facti sumus, transimus cum ipso in familiam Dei, Patris ipsius, et Pater nos dulcissimo *filiae* nomine compellat; Ps. XLV, 11; Christus autem sponsam suam *sororem* vocat. Cant. V, 1. 2. Ne vero harum praerogatiuarum ignari simus, Spiritus sanctus animis nostris vna testatur, nos esse Dei liberos. Rom. VIII, 16. *)

Opera-

*) Ad arrhas sponsalitias in primis referendus est annulus, quem pignoris loco sponsus dare aut mittere solet sponsae. TERTVLLIANVS eum *pronubum* dixit *in Apolog. Cap. VI. Circa feminas*, inquit, *etiam illa maiorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae societati patrocinabantur, quum aura nulla norat, praeter vnico digito, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo.* Hocce annulo sponsus non solum ornabat sponsam, sed et ius in res domesticas ei consignabat, docente CLEMENTE ALEXANDRINO *libr. III. Paedag. cap. XI. Dat*, inquit, *sponsus sponsae annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed vt ea obsignet, quae domi digna sunt, quae custodiantur; propterea quod seruandae domus cura ad eam pertineat.* Addit ibidem: *Quae aurum gestant mulieres, mihi videntur timere, ne, si quis aurum abstulerit, existimentur ancillae, vt quae non sint ornatae, quia non omnibus olim concessum, gestare annulos aureos, sed ingenuis duntaxat, seruis vero et liberis ius annulorum non fuit.* Vid. IOACHIMI HILDEBRANDI *libell. de nupt. vet. Christ.* Pronubus iste annulus in annulari sinistrae manus digito ponebatur, vt erga sponsum admoneretur sponsa, affectum cordis praestare; siquidem in eo annulari digito venula quaedam exstare dicitur, quae cordi conterminatur. ISIDORVS *lib. II. de offic. cap. XIX.* Conf. KIRCHMANNI *libr. de annulis.* Annulus quoque adagium est de re vehementer cara, accepta et pretiosa. Hinc Deus ad *Zorobabelem* dicit: *Adsciscam te, et pro annulo habebo, quoniam te delegi.* Hagg. II, 24. De *Chouia* vero tale Deus iustis-

Operationes Spiritus sancti, tamquam Spiritus adoptionis, in animis credentium eo praecipue tendunt, 1) *vt mentem fidelium ad meditationem atque adprehensionem gratiae Dei saluificae excitet*

iustissimus Ier. XXII, 24 fert iudicium: *Etiamsi esset Chonias, Ioachimi Iudaeae regis filius, mihi annulus in manu dextra, inde te auellam.* Optime hic VATABLVS Dei irati mentem expressit, dum ita scribit: *Etiamsi Chonias fuerit mihi antea dilectissimus et coniunctissimus, et similis annulo signatorio, quem homines ob pretium et dignitatem assidue gestant in manu dextra, et nunquam deponunt; tamen eum auellam, et nullam ipsius curam benignam habebo. cet.* Vid. RECHENB. *Hierolexic. p. 91.* Quae mens fuerit sponsae Sponsi caelestis dulcissimi Cant. VIII, 6, hic facile intelligitur, quum Sponsum suum ita adloquitur: *Admoue me tamquam sigillum tuo pectori, tamquam sigillum tuo brachio.* Nimirum hoc in votis habet, vt insculpatur cordi et brachio Sponsi, tamquam nota impressa sigillo: quo tum alte fixum sui vestigium intus in animo insideat, tum foris semper in oculis geratur. Vel, vt CALOVIVS explicat, *id petit sponsa, vt non tantum instar monilis cordi sit proxima, sed vt cordi ipsi, atque ita etiam brachio Christi, imprimatur ceu signaculum; vt semper geratur in animo, vt ipsius memor sit,* Neh. XIII, 14, *ipsamque amet; semper in brachio, vt ei benefaciat, et nunquam eam destituat gratia ac virtute sua.* Hoc enim loco sigillum non denotat instrumentum signandi, seu annulum signatorium, distincte nitideque exsculptum et studiose seruatum; sed potius ipsum characterem, siue signum aut typum, qui molliori materiae imprimitur. Vid. D. MICHAELIS *vberior. adnotat. in h. l. pag. 710.* Addere hic placet, quae GROTIVS apud CALOVIVM *in bibl. illustr.* ad Luc. XV, 22 adnotauit. Quum enim ibi dicitur, quod, ad mandatum patris benignissimi, filii reuertentis *manui annulus sit adhibitus;* ita laudatus Auctor de δακτυλίῳ scribit: Δακτύλιον *apud Romanos ingenuitatis, apud Orientis populos dignitatis eximiae signum,* Gen. XLI, 24, *aut etiam opulentiae,* Iac. II, 2. *Quum autem annuli vsus inter alia sit signare, non male veteres respondere annulo putant donum Spiritus sancti, qui nos obsignat.* Vid. supra p. 36. §. XXI. not. **)

excitet et manu quasi ducat, quo horror et metus seruilis, ex conscientia peccatorum ortum suum trahens, pellatur, gustum quendam diuini amoris, parcius primum, mox vberius, credentibus in Christum praebendo. Iussu patris, manui filii, antea perditi ac mortui, sed rediuiui et inuenti rursus, adhibebatur annulus, in signum amoris paterni: Luc. XV, 22: tali modo mittit Deus Filii sui Spiritum in animos nostros; quia filii sumus; vt omnis de fauore Dei erga nos summo cesset dubitatio; Gal. IV, 6: per eumque Spiritum vnicuique filiorum suorum beneuolentiam suam ita declarat: quam de sponsa sua capit voluptatem sponsus, eam de te capio Deus tuus. Iesa. LXII, 5. 2) Deinde Spiritus Patris, vt annulus a patre acceptus, *praestantissimam filiorum Dei indicat conditionem.* Eximia est nobilitas, ex Deo natum esse. Nihil excellentius diuina illa natura adpellari potest, quam noua generatione accipimus. Sed bonum merito est eminentissimum, quod Spiritu sancto suos Deus obsignat, eodemque Spiritu, quo Christus vnctus est, et nos vngit. Acceptos suos sibi reddidit per suum Filium carissimum; Eph. I, 5: sed et Spiritu suo eos donauit, vt ipsi in laudem et nomen et gloriam sint, Deuter. XXVI, 19, tamquam decoris corona in manu sua, et regni diadema in palma sua. Iesa. LXII, 3. 3) Porro Spiritus Patris *ducit*, *immo trahit filios Dei ad thronum gratiae*, efficitque, vt ex impulsu ipsius, tamquam Spiritus gratiae et precum, fiducia filiali cum Patre caelesti colloquium instituant familiare, et de exauditione orationum suarum nulli dubitent. Habemus aditum ad sacrarium liberum per Iesu sanguinem: vt vero accedere queamus cum vero animo, plenaque fide, et animis, a mala conscientia ablatis, et corporibus, aqua pura lotis; illud gratiae debemus Spiritus sancti, a Deo nobis dati et in nobis habitantis. Hebr. X, 19. 22. Zach. XII, 10. Praeparat nos veros cultores, vt Patrem spiritu et veritate adorare possimus. Ioan. IV, 24. Per eum

clamamus, claraque voce confidenter Deum Patrem noſtrum vocamus. Gal. IV, 6. Non autem filios Dei tantum impellit ad preces, cum παῤῥησίᾳ et πληροφορίᾳ fundendas: ſed et ipſe Spiritus Dei orat, atque intercedit pro iis, quibus in ſignum amoris Dei paterni datus eſt *). Siquidem Paulus expreſſis verbis dicit, filios Dei Spiritum accepiſſe, per quem clamant: Abba, Pater! Rom. VIII, 15; et addit v. 25. 26, quod Spiritus noſtris ſuccurrat infirmitatibus: nam, quid oremus, vt fieri debet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus pro nobis ſuppli-

*) Spiritus ſanctus intercedit pro nobis 1) effectiue, quum ad preces fundendas nos impellat, 2) formaliter, quum ipſe pro nobis coram throno Dei oret. Negant poſterius Theologi nonnulli, vt CALOVIVS *in bibl. illuſtr. Tom. III. p. 792*; alii adfirmant multis atque exquiſitis rationibus, vti DORSCHEVS *in theol. Zach. Part. II. p. 188. §. 43*, qui ſequenti modo mentem ſuam exponit: *Spiritus ſanctus dicitur poſtulare non ſolum, quia poſtulare et gemere facit, vt* Matth. X, 19 *dicitur loqui in apoſtolis; ſed etiam quia deſideria amicorum ſuorum, eorumque gemitus inenarrabiles admirabili ratione excitatos in conſiſtorio ſacro ſanctae Trinitatis, quaſi paracletus et aduocatus noſter, magna inſtantia, magno pondere, magna auctoritate exponit, et ineffabili quodam modo repraeſentat. Immo etiam ſublimi et penetrantiſſima ratione gemitibus noſtris ſeſe quaſi miſcet et diuina περιχωρήσει inſinuat, et, quod precibus deeſt, gemitui ſancto in piorum cordibus includit.* Argumenta pro interceſſione formali Spiritus ſancti exhibet FRANCISCVS IVLIVS LÜTKEN *in Colleg. Bibl. p. 238.* Diſcrimen vero inter Chriſti et Spiritus ſancti interceſſionem in eo conſiſtit: 1) Chriſtus intercedit, tamquam Θεάνθρωπος; Spiritus ſanctus autem, tamquam Deus: 2) Chriſtus tamquam mediator; Spiritus ſanctus tamquam aduocatus: 3) Chriſtus intercedit pro omnibus hominibus; Spiritus ſanctus tantum pro fidelibus. Vid. GODOFR. OLEARII *Diſſ. de adoratione Dei Patris per Ieſ. Chr. p. 39*, nec non EIVSDEM *diſſ. de adoratione Spiritus S. cum Patre et Filio p. 41.* Conf. LÜTKEN *l. c.*

ſupplicat gemitibus ineffabilibus *). Animorum autem indagator

*) „Illuſtris eſt locus de ὑπερεντεύξει Spiritus ſancti a diuo Paulo „conceptus in epiſt. ad Rom. VIII, 26: Αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερ„εντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις: *Ipſe Spiritus in„tercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vel, vt TERTVL„LIANVS interpretatur, *ineloquis*. Eſt haec ὑπερέντευξις, ipſo „Apoſtolo interprete, 1) ἀλάλητος, ac *ineffabilis*, mirabilis, „quae ſit ipſis fidelibus ſaepe inſciis, quum anxietate cordis obſeſſi „tenentur, nulla profanae cogitationis ſorde temeranda. Nimi„rum qualis Spiritus ſancti eſt proceſſio, qualis in fidelibus mo„tio, talis et ἔντευξις, at ἀκατάληπτος illa. Balbutire tamen li„cet, quibus eloqui non eſt datum. - - - Ἀλάλητον eſt, „quod difficulter exponi poteſt; ita adhuc multarum difficultatum „nebula obſeptum eſt. Eamus, quo lux diuina praeit. Eſt „igitur illa ὑπερέντευξις 2) *effectiua*, *tranſitiua*, et, vt ſic di„cam, *hiphilica*. Spiritus gemit pro nobis, quia gementes nos „facit, vt rotunde exponit AVGVSTINVS *lib. II. de Trin. cap. „III*, quidquid vsque patronus et aduocatus cauſſae praeſtat ſuis „clientibus, id omne Spiritus ſanctus fidelibus, Spiritus ſcilicet „precum. Zach. XII, 10. Vnde per τὸ ὑπὲρ exiſtimat ERAS„MVS ſignificari, Spiritum ſanctum veluti praefectum eſſe ſan„ctorum votis, vt ea moderetur. - - - Spiritus enim ſan„ctus clienti ſuo reoque deſperabundo ſolatia adſpirat, cauſſae ſuae „diffidentem animat, ignoranti modum precandi docet, caeco „lumen addit, conſilii experti ſuadet ſalutaria, accuſatum defen„dit, languidum ad preces excitat, infirmam eiaculationem robo„rat, impuram defecat, ingratam gratam facit, obſcuram fere„nat, hebetem acuit, ignauam ſublimat, ad thronum Dei addu„cit tardam: vincit tandem, obtinet cauſſam, conſequitur vo„ta, implet deſiderium. 3) Περιχωρητική, *concurrens* quaſi „cum noſtris gemitibus ad quoddam quaſi commune ἀποτέλε„σμα. Haec enim eſt συναντίληψις depraedicata in hoc eo„dem loco, qua συναντιλήπτως vna et quaſi e regione cum al„tero ſtat, operatur, iuuat. Obſerua hic, inquit D. GLASSIVS „*phil. ſacr. tr. III. cap. XXII. p. 279*, iucundiſſimam et conſola„minis

gator nouit, quae sit Spiritus adfectio, qui quidem sic, vt Deus postulat, pro sanctis orat. O quanta filiorum Dei felicitas! Aduocatum habent ad dextram Patris, Iesum Christum, iustum, qui idem peccatorum eorum piaculum est perfectissimum omnibusque numeris absolutissimum: 1 Ioan. II, 1. 2: Aduocatum alium in se habent, qui cum ipsis perpetuo manet. Ioan. XIV, 16. Quaecumque ergo per Spiritum sanctum in nomine Filii a Patre postulant, certissime ipsis dabuntur. Ioan. XVI, 23. Vnde ea est, quam ad Deum habent, confidentia, quod, si quid ex eius voluntate postulant, audiat eos. 1 Ioan. V, 14. 4) Ex his quoque luculenter adparet, *quantae sint filiorum Dei praerogatiuae.* Quum enim Deus ipsis Filium suum, vt mediatorem ac redemtorem, nec non Spiritum suum, vt annulum et pignus fauoris sui, dederit, num nominari quid potest, quod tantis bonis aequiparandum sit? Qui vero maxima confert bona, minora haud denegabit, praesertim quum omne, quod verum bonum adpellandum, in Christo, salutis cunctae auctore, deprehendatur, et Spiritus sancti efficacia nobis adplicetur ac nobiscum communicetur.

„minis pleniſſimam interceſſionis Spiritus ſancti et ſuſpiriorum „coniunctionem, et quaſi περιχώρησιν. Dum ſuſpirant contri„tae et Deo addictae per Chriſtum animae, ſuſpirare et ſimul in„tercedere, ὑπερεντυγχάνειν, dicitur Spiritus ſanctus. Quidquid „precibus deeſt, id gemitu ſancto in piorum cordibus compenſat „Spiritus ſanctus. Is gemitus non eſt ex naturae viribus, ſed „ex Deo: vnde ἀλάλητος. 4) *Oratio formalis*, locutio diuina, „lingua caeleſtis, Deo digna, interceſſio Spiritui ſancto propria. „- - Spiritus ſanctus, qui e corde Patris exit, calidus a corde „diuino; qui cordis diuini arcana ſcrutatur, is cor noſtrum diffi„dens et deſperabundum erigere poteſt; et de corde diuino in „corda noſtra miſſus, facere, vt audeamus dicere: Abba, Pater!„ ſeqq. Digna haec verba viſa ſunt, quae ex DANNHAVERI *Hodoſophia p. m. 940. ſeqq.* ad aedificationem Lectoris adponantur.

cetur. Multa sane est bonitas, quam Deus eum reuerentibus abscondit. Ps. XXXI, 20. Diuitiis caelestibus, quas Deus suis ob meritum Christi vna cum Spiritu sancto impertit, nec vidit oculus pares, nec audiuit auris, nec vlla hominis mens adsecuta est. 1 Cor. II, 9. Tanta fideles fruuntur dignitate, vt Christus ipse in iis, tamquam forte sua, exsultet: Ps. XVI, 6: praestant enim excellentia sua, quae ex adoptione oritur, caeteris mortalibus omnibus. Sanctam animi persentiscunt pacem gaudiumque in Spiritus sancti communione ineffabile. Rom. XIV, 17. Et, vt paucis omnia comprehendam, fideles sunt portio Dei, Deusque est portio eorum. Formator enim omnium Iacobi portio Ier. X, 16 adpellatur; Israel vero possessionis ipsius dicitur tribus. Num quid filiis Dei amplius deesse potest? Num quid animus praeter infinitum illud bonum desiderabit? Quid vero iis non dabit Deus, quibus se ipsum dat? Felicem ergo summo iure praedicamus, cuius Iehoua Deus est, quem ille sibi possidendum delegit, in cuiusque animo Spiritus sanctus, veluti testis harum praerogatiuarum, inhabitat fideliſſimus ac certissimus. Ps. XXXIII, 12.

§. LVI.

III. Annuli gestatio non nisi ingenuis et manumissis olim erat licita, non vero spuriis neque seruis. Liberti autem in testimonium factae liberationis a manumissore eodem donabantur. Nos nascimur vt serui peccati et diaboli, et natura sumus irae filii, legisque exsecrationibus obnoxii. Ioan. VIII, 34. Redemit nos Seruator noster, soluto diuinae iustitiae λύτρῳ absolutissimo, fideque in Mediatorem nostrum ex durissima seruitute, quasi liberti, manumittimur, et in statum libertatis ex fauore summi Numinis, tamquam peculium et filii Dei, transponimur. Ioan. VIII, 36. *Nos vero vindicatos atque adoptatos esse, Spiritus sanctus nos docet, in signum libertatis nostrae a Deo nobis datus.* Vbi enim Domini Spiritus est, ibi est

Spiritus est signum libertatis nostrae.

est libertas. 2 Cor. III, 17. Spiritu sancto itaque, veluti annulo aureo, vtuntur credentes, a Deo manumissi, et ex operationibus eiusdem, quas in se sentiunt, 1) firmiter sunt persuasi, *se ex tenebrarum ereptos potestate*, atque in regnum carissimi Filii Dei esse translatos. Col. I, 13. 2) *Nulla ipsis est condemnatio*; quia sunt in Christo Iesu; quod demonstrant, quum non amplius secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulent. Rom. VIII, 1. 3) Spiritum a Deo promissum adepti sunt; vnde sciunt, se *a legis exsecratione ob Christum adsertos esse*, qui pro nobis exsecratio factus est. Gal. III, 13. 14. 4) *Sunt in amore Dei*, cuius per Spiritum sanctum participes facti sunt: In caritate autem Patris caelestis *non est metus seruilis*; neque spiritum acceperunt seruitutis. Perfecta potius caritas metum, habentem cruciatum, expellit, gaudentque adoptionis Spiritu Dei liberti. 1 Ioan. IV, 16. Rom. VIII, 15. 5) *Morti spirituali non amplius sunt subiecti*, lege Spiritus vitae in Iesu Christo, a peccati et mortis lege liberati. Rom. VIII, 2. 6) *Non moriuntur*. Ioan. XI, 25. 26. Nam etiamsi corpus eorum moriatur propter peccatum: Rom. VIII, 10: mors tamen illa non est maledicta; siquidem aculeum suum amisit, 1 Cor. XV, 55, finisque est peccati ac miseriae, nec non transitus ad vitam aeternam. Quare 7) *damnationem post hanc vitam in futuro saeculo extimescunt nullam*, numquam, ex Christi adsertione Ioan. VIII, 51, mortem visuri, neque in iudicium venturi, c. V, 24, tamquam Dei Spiritu obsignati ad liberationis diem. Eph. IV, 30. Spiritus enim, quo sunt obsignati, et arrha siue pignus est haereditatis, quam firmissime exspectant. Ephes. I, 14. 15. 8) Liberati ergo fideles a peccato et tristissimis eius effectibus, Deoque mancipati, *seruiunt Christo* in nouo spiritu, Rom. VII, 6, fructumque suum percipiunt ad sanctitatem, ad quam non solum gratia Spiritus sancti inhabitante impelluntur, sed ex qua etiam intelligunt, veluti ex fructibus Spiritus, in ipsis manentis,

tis, quod vere liberti sint Dei seruique Christi, qui eos sibi subiecit, et per sceptrum roboris sui dominium suum, ad eorum vnice tendens salutem, in eos clementissime exercet. 9) *In hac persistunt credentes libertate*, in Spiritu ambulantes, et per Spiritum carnis opera perimentes, Christoque ex Spiritus impulsu viuentes. Haec enim summa libertas est, Christo, non sibi, nec mundo, nec diabolo, viuere.

§. LVII.

IV. Sigillum et instrumentum denotat, per quod imago exprimitur, et imaginem significat, per instrumentum expressam. *Per Spiritum sanctum Dei imago in nobis reparatur, nouaeque nobis vires ad sanctimoniam conferuntur, vt Spiritu ambulare, vitamque voluntati diuinae conformem degere queamus* *). Intellectus hominis ψυχικῆς atra obsessus est caligine, nec comprehendere potest ea, quae sunt Spiritus; quare voluntas eius neque fertur in incognita, neque apta est ad eliciendos actus, legi summi Numinis consentaneos. Omnia potius, Per Spiritum S. imago Dei nobis imprimitur.

M quae

*) IOANNES CROCIVS *in Comment. Epist. ad Ephes. p. 114* sequenti modo obsignationem explicat: „Obsignando imprimitur imago sigilli. Sic fidelibus imprimitur Spiritus sancti imago. Quaenam illa? Sapientia et sanctitas, cuius praecipua pars est caritas. Ea imprimitur in sanctificatione. Dum igitur iis, in quibus fides est per euangelium accensa, confertur lux sapientiae, calor caritatis, et nitor sanctimoniae, eo ipso sigillo, cordi ipsorum tamquam cerae impresso, obsignantur, adeoque tum magis et magis conformantur Spiritui, tamquam sanctitatis archetypo et sigillo imprimenti, tum discernuntur a grege diaboli, tum magis confirmantur de promissionum certitudine. Non aliter atque epistola sigillo confirmatur. Dum enim euangelium stilo Spiritus sancti in eorum cordibus scribitur, fiunt epistola Dei. 2 Cor. III, 3. At postquam facti sunt Dei epistola, obsignantur. Priori actu gignitur fides in eorum cordibus; posteriori roboratur, vt contra dubitationem omnem fortiter pugnans in Dei veritate penitus adquiescat.„

quae a Deo proficiscuntur, homini naturali, gratiaque Spiritus sancti destituto, sordent, tamquam mortuo in peccatis suis, atque a Deo eiusque Spiritu longissime seiuncto, oblectationem animi sui peruersi in rebus creatis extra Deum, vel in ipsa scelerum perpetratione turpissime quaerenti, sua commoda externa pro summo fine, suaque placita pro lege habenti, nec non diaboli ita simili, vt istius atrocissimi aduersus Deum inimici speciem prae se ferat, sordibus ipsius conspurcatus infernalibus, omnesque suas actiones ad eiusdem arbitrium, veluti captus ab ipso, dirigens. Quando vero Spiritus sanctus operationes suas hyperphysicas in homine exserere potest, tunc conformitas cum satana non solum destruitur atque aufertur, sed et nouae animo eius induntur vires, vt virtute supernaturali et omnia odio habeat peccata, et mandato diuino ex intimo voluntatis adfectu sese vere praebeat obedientem. Collatio earum virium quatenus in principio spectatur, pertinet ad gratiam operantem. Est vero actio gratiae cooperantis, inhabitantis adeoque obsignantis, quatenus collatae vires conseruantur, atque augmentum in dies capiunt. Hanc ob caussam credentes non tantum Christi sunt epistola, viuentis Dei Spiritu descripta; 2 Cor. III, 3; sed etiam detecta facie Domini speculantes splendorem, in eamdem transformati sunt imaginem, splendore perpetuando, tamquam a Domino, Spiritu. v. 18. Patris sui nomen in frontibus scriptum habent, Apoc. XIV, 1, et in frontibus suis, tamquam serui Dei, consignati sunt; c. VII, 3; participes facti diuinae naturae, mundanamque effugientes cupiditatis corruptelam, 2 Petr. I, 4, neque polluti peccato, sed inculpati potius coram Dei solio. Apoc. XIV, 4. 5. Datum est ipsis nouum nomen, quod nullus nouit, nisi qui accipit, c. II, 17, et Christus ipse per Spiritum sanctum Dei sui nomen ipsis inscripsit, et nomen vrbis Dei sui, itemque suum ipsius nomen nouum. c. III, 12. Mentem etenim Christi habent, 1 Cor. II, 16,

16, animati sunt, vt Christus Iesus, Phil. II, 5, occultum mentis hominem gerunt, cum mitis et quieti animi sinceritate, quae res magni est in Dei conspectu pretii, 1 Petr. III, 4, veterem quotidie exuentes hominem cum suis actionibus, nouumque induentes, cognitione renouatum ad imaginem conditoris sui, diuinitusque conditum cum iustitia veraque pietate. Col. III, 10. Ephes. IV, 24. Sunt ergo credentes noua creatura in Christo Iesu, Gal. VI, 15, seruiunt Deo ἐν καινότητι πνεύματος, Rom. VII, 6, sancti sunt, sanctosque se in omni vita praebent, veluti Deus sanctus est, ad cuius imaginem sunt restaurati, quemque in tota sua vita sedulo imitantur. 1 Petr. I, 15. 16. Eph. V, 1. Vti vero summa peccato inest turpitudo, quia diabolo hominem simillimum facit: ita in sanctitate excellens deprehenditur gloria, quoniam Deo hominem reddit conformem, qui magnificus seu glorioſus in sanctitate sua apparet, Exod. XV, 11, cuiusque imago gloriam eius simul indicat, qui ad eamdem virtute Spiritus est renouatus: 1 Cor. XI, 7. Vnde et sancti, imaginem Dei accurate exprimentes, gloria Christi adpellantur, 2 Cor. VIII, 23; domus Christi, quae ex fidelibus, tamquam lapidibus vivis, consistit; cuius decus est sanctitas; Ps. XCIII, 5. 1 Petr. II, 5. Populus Christi domino suo in seruit in decoribus sanctitatis; Ps. CX, 3, nec non tota glorioſa est filia regis intro; Ps. XLV, 14; immo gentes vident iustitiam credentium, omnesque reges gloriam eorumdem. Iesa. LXII, 2. Circa hancce sanctitatem glorioſam gratia Spiritus sancti obsignans sequenti modo versatur. 1) *Habitus infundit credentibus spirituales*, conformitatem cum Deo in ipsis conseruando, similiores eos magis magisque Deo faciendo, nec non vires supernaturales in ipsis adaugendo *). Hic operandi modus merum Dei beneficium

*) Quum obsignatio fidelium per Spiritum sanctum non sit momentanea, vt vno momento absoluatur; sed continuetur et duret, ex

cium est, ad quod nos habemus vt recipientes, non vero vt cooperantes aliquid naturae viribus. 1 Thess. V, 23. 2) Idoneos atque alacres nos facit, *vt voluntati Dei ex animo sincero obtemperemus*, et ex concursu et cooperatione Spiritus vires omnes, iamiam acceptas, Deo vnice consecremus. 1 Thess. IV, 3. 3) *Foedam diaboli imaginem in quotidiana exstinguit renovatione*, caliginem atque rerum diuinarum ignorantiam ex intellectu expellendo, nec non voluntatis peruersitatem corrigendo et emendando, impotentiamque nostram ad quaeuis bona auferendo. 4) Nouas quoque confert qualitates, *in quibus Dei sita est imago*; mentis oculos illuminando, vt perfectiones diuinas Christique opes, pro nobis a Patre acceptas, modo ineffabili perlentiscant; motus animi sanctiores reddendo, vt in diuitiis, a Christo ipsis donatis, exsultent, lege Dei delectentur, seque in omnibus Deo vnice conformare vehementissime desiderent; nec non corporis membra, veluti arma iustitiae, sistendo, vt non solum spiritus et anima, sed corpus etiam inculpate conseruetur in aduentum Domini nostri Iesu Christi, 1 Thess. V, 23, Deusque et in corpore et in spiritu eorumdem, qui sunt Dei, glorificetur, 1 Cor. VI, 20, ideoque

quo homines credunt, vsque ad finem vitae: vt res clarior euadat, contemplanda erit, tum ratione initii, tum ratione continuationis. Quando in *initio* suo spectatur, formaliter nil aliud est, quam inuisibilis effusio Spiritus sancti in corda fidelium, ad habitandum in iis gratiose, confirmandumque magis magisque in fide, et sanctificandum in pietate vitae. - - Quando vero obsignatio in *continuatione* ad finem vsque vitae consideratur, formaliter consistit in ipsa operosa Spiritus sancti in cordibus fidelium inhabitatione, efficaci in fide confirmatione, et in vita sanctificatione, iuxta salutis ordinem, vsque ad finem vitae, haereditatisque possessionem. Ita namque obsignantur fideles per Spiritum promissionis sanctum, vt sit sigillum atque arrhabo haereditatis nostrae semper vsque in redemtionem possessionis. Conf. SEB. SCHMIDII *Diss. de obsignatione fidelium interna. Sect. II. §. 10.*

ideoque integer homo sanctificetur, quo omnes suas actiones ad Dei vnice dirigat voluntatem. Hac itaque ratione Deus et cor nouum et spiritum nouum in pectora nobis dat, atque, exemto de corporibus nostris lapideo corde, dat carneum cor, datoque in pectora nostra Spiritu suo, facit, vt institutis eius pareamus eiusque mandata, conseruemus. Ezech. XXXVI, 26. 27. *) 5) Habemus quoque ex sanctimonia nostra *criteria certissima*, vt nostrae nobis a Deo electionis aeternae, vocationis internae, et fidei ac communionis cum Christo conscii simus; 2 Petr. I, 10; vtque in inoffensae testimonio conscientiae, atque animi tranquillitate exsultemus; 2 Cor. I, 12; **) nec non vt hac via, ad aeternam contendentes gloriam,

 securi

*) IGNATIVS, sanctissimus Christi martyr, Romanos *in epistola, ad eosdem scripta*, obsecrat, id ipsi a Deo vt precibus obtineant, vt non tam nomine, quam re ipsa potius sit Christianus. Μόνον, inquit, δύναμιν αἰτεῖσθε μοι ἔσωθέν τε καὶ ἔξωθεν, ἵνα μὴ μόνον λέγω, ἀλλὰ καὶ θέλω, ὅπως μὴ μόνον λέγωμαι Χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εὑρεθῶ, ἐὰν γὰρ εὑρεθῶ, καὶ λέγεσθαι δύναμαι. *Solum mihi potentiam petatis ab intra et ab extra, vt non solum dicam, sed et velim; non vt solum dicar Christianus, sed et inueniar: quum enim inueniar, tunc et dici possim.*

**) Quum audire tibi contigerit de communicatione cum sponsa, de choris, de cantu et festis, nihil materiale aut terrenum cogitaueris. Etenim in exemplum duntaxat per condescensionem haec adsumuntur. Quoniam illa, quae his designantur, spiritualia et oculis carneis incognita sunt. Animae vero sanctae ac fideli sub comprehensionem veniunt et ipsa communicatio sancti Spiritus, et supercaelestes thesauri, chori ac festa sanctorum angelorum. Quin ista tantum homini manifesta fiunt, qui experimentum eorum ceperit; non introductus autem in haec adyta, nec qualemcumque talium formare ideam potest. Reuerenter igitur de huiusmodi rebus audi, quoad tibi contingat credenti, vt dignus habearis fruitione tantarum rerum. Et tunc scies ipsa experientia oculorum animae, qualium bonorum animae Christianorum fieri compotes queant. MACARIVS *de caritate Cap. XIII. p. 154.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0047
DFG

securi ac intrepidi omni tempore esse queamus. Ps. XXVII, 2. 3.

§. LVIII.

Spiritu signamur, tamquam Dei peculium.

V. *Sanctificati Spiritu signantur, tamquam peculium Dei seruique Christi, sub vexillo eiusdem militantes* *). Quare et obsignatio et donatio arrhae εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως tendere dicitur Ephes. I, 14. Christus semet ipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vindicaret, et sibi λαὸν περιούσιον, populum peculiarem, purgaret, recte factorum cupidum. Tit. II, 14. Fide in Christum genus lectum sumus, regale sacerdotium, sancta gens, λαὸς εἰς περιποίησιν, populus in possessionem, Christi sanguine adquisitus, quem sibi Deus, vt proprium seu peculium, vindicat. 1 Petr. II, 9. Vt vero et nobis et aliis constet, nos omnino populum Dei esse, hacque vere frui dignitate, ideo Deus nos Spiritu suo obsignauit, eoque, veluti criterio inuiolabili, notauit, nec non in spem viuam futurae haereditatis confirmauit. Redemti enim, iustificati et sanctificati sunt credentes ad asseruationem siue conseruationem, et veluti pleno redemtionis effectu donandi, tamquam Deo adquisiti ac lucrifacti **). Signantur itaque credentes,

1) *vt*

*) Olim Romani milites, VEGETIO teste, *de re mil. Libr. II. Cap. V*, victuris in cute punctis scripti, quum matriculis inserebantur, iurare solebant: vnde in lege *Mauritii*, in manu signati, periphrasis militum est. Nam στίγματά ἐστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσὶν, *punctura militum sunt in manibus*, ait AELIANVS. Hoc ipsum CHRYSOSTOMVS σφραγῖδα τῦ στρατιώτε, *sigillum militis*, vocat ad Rom. IV, 11. Vide GROTIVM *ad Apocal. XIII, 16.* Conf. HERMANNVS WITSIVS *de Oeconomia Foederum Dei cum hominibus, Lib. III. Cap. XII. p. m. 445.*

**) Non male GROTIVM obseruasse iudico, περιούσιον a περιεῖναι deriuatum esse, quod praestare significat; vnde περιούσιος idem est, quod ἐξαίρετος, eximius; et περιουσία significat abundantiam. Quo sensu CLEMENS ALEXANDRINVS *in admon. ad gentes p. 5*, eo vocabulo

1) *vt in peculium a Deo recepti*, eiusque filii agniti. Quicumque enim Christum acceperunt, iis non solum potestatem dedit,

cabulo vtitur, μισθὸν ἡμῶν, inquiens, τῆς μαθήσεως, ἐκ περιουσίας, βασιλείαν ἐρανῶν, ἐπαγγέλλεται. Eumdem significatum DEMOSTHENES et POLYBIVS adhibent, quorum testimonia legi possunt in HERMANNI WITSII *Oeconomia foederum Dei cum hominibus*, *Libr. III. Cap. XII. §. VII. p. 444.* Sunt ergo pii eximia Dei possessio, quam sibi vindicat, conseruat, et in qua se ostentat, vti corona ornata et cidari regia, Ies. LXII, 3, quam pro diuitiis suis habet, et alterius esse non patitur. Conf. IOANNIS GERHARDI *Comment. in 1 Petr. II, 9.* Deus promittit Exod. XIX, 5, Israelitas ipsi peculium fore prae omnibus aliis populis. In hebraeo extat והייתם לי סגלה Vocabulo סגלה vox latina, *sigillum*, adfinis est, adeo, vt significet rem, quam quis impresso sigillo suo suam esse declarat, et talem quidem, vnde homines regesque ipsi, diuites censentur, et qua magnificentiam suam ostendunt. Eccl. II, 8. Ita elegit Deus populum suum לסגלתו in thesauros sibi adseruandos. Ps. CXXXV, 4. Conf. HERMANNVS WITSIVS *l. c.* Quare Paulus Eph. I, 14 credentes ita adloquitur: ἐσφραγίσθητε εἰς περιποίησιν, hoc est, vt reponamini et adseruemini, tamquam res propria, ad gloriam Dei facta, et a populis, nationibus, linguis emta. Non potest explicari *ad redimendum*, quia in Christo habemus redemtionem. v. 7. Ergo potius ἀπολύτρωσις sumus, hoc est, emti pretio: quamquam et ἀπολύτρωσιν exspectamus, Rom. VIII, 23, hoc est, effectum et fructum redemtionis. Eph. IV, 30 dicit apostolus: ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, in diem, quo plena libertas, et id, pro quo pretium datum est, repraesentabitur. Possemus et verba c. I, 14 ita explicare: signati estis, vt redimamini, tamquam adquisiti ac emti. CHRYSOSTOMVS intelligit resuscitationem corporis, quia tum fiet ἡ καθαρὰ ἀπολύτρωσις, non nouo pretio dato, sed pretii dati pleno effectu, τὸ ἀπολυτρώσασθαι τὴν περιποίησιν αὐτῶ. OECVMENIVS ita exprimit: περιποίησιν ἡμᾶς καλεῖ διὰ τὸ περιποιήσασθαι ἡμᾶς τὸν Θεόν. *Vocat nos* περιποίησιν, *quia Deus nos adquisiuit.* Vid. IOANNIS

dit, vt Dei filii fierent, Ioan. I, 12; sed Deus etiam signauit eos Spiritu suo, tamquam seruos suos, in frontibus eorum: quia efficacia diuina, animis ipsorum per Spiritum sanctum impressa, publica sese exserit confessione, nec non vita sancta atque inculpata, ita, vt ab omnibus cognosci possint, Deo illos mancipatos esse, nomen ipsius in frontibus suis praeferentes. Apocal. VII, 2. 3. c. XIV, 1. 2) Per sigillum Spiritus, animis fidelium impressum, vnumquemque sacrum ita Deus adloquitur: *Tu, serue mi, quem elegi, amice mi, tu, quem adscitum et euocatum meum pronunciaui, et non repudiaturus elegi, ego tibi adsum, ego Deus tuus, ne metue, ne remollesce, corroboro te, iuuo te, dextra mea te fulcio.* Ies. XLI, 9. 10. 3) Optime ergo Deus omniscius suos obsignatos *habet cognitos*, et quidem cum adfectu paterno intimo. Palmis suis eos impressit, Ies. XLIX, 16, nec vmquam eorum obliuiscetur, v. 15, intentos in iustos habet oculos et aures ad eorum implorationem, Ps. XXXIV, 16, viam bonorum cognoscit, Ps. I, 6, suas oues Christus nominatim adpellat, Ioan. X, 3, agnoscit eas, vt ipsum nouit Pater, v. 14. 15. Firmum itaque Dei fundamentum persistit, hoc habens sigillum: nouit Dominus, qui sint sui, atque ab omni recedat iniustitia, quisquis nominat Christi nomen. 2 Tim. II, 19. *) Hocce sigillo *ab*

NIS COCCEII *Oper. Tom. IV. p. 1032.* *Chaldaeus* reddidit verba Exod. XIX, 5: eritis mihi dilecti, quia res pretiosae et thesauri solent esse cari. THEODOSIVS et SYMMACHVS verterunt λαὸς ἐξαίρετος. LYRANVS autem, eritis mihi amicabilitas: et PAGNINVS, eritis mihi tamquam thesaurus dilectus, velut pretiosum aliquod κειμήλιον, quod magni aestimatur et diligenter adseruatur. Conf. Deuter. VII, 6. XIV, 2. XXVI, 18. Mal. III, 17. Act. XX, 28. 1 Thess. V, 9. 2 Thess. II, 14. Vid. IOANNES GERHARDVS *l. c.*

*) CHRYSOSTOMVS per solidum Dei fundamentum intelligit τὰς στερεὰς ψυχὰς, αἵτινες ἐσήκασι πεπηγυῖαι καὶ ἀκίνητοι, *animas solidas*,

ab omnibus aliis hominibus Dei serui distinguuntur, ex eoque conspici potest, eos Domino suo caelesti vere consecratos esse. Sunt Deo suo sancti, quia discreuit eos a reliquis populis, vt sint ipsius. Leu. XX, 26. Exiuerunt e medio malorum et separati sunt, nec impurum attingunt; Deus enim eos vt peculium suum excepit, ipsisque pater est, hi vero ipsi sunt filii filiaeque. 2 Cor. VI, 17. 18. 5) Certiores denique hoc criterio diuino fideles facti sunt, *Deum curam ipsorum habere paternam maternamque*, eosque ab insidiis hostium tutos conservare et custodire. Militant enim sub vexillo Christi. Perseuerantia ipsis ad vltimum vitae halitum maximopere est necessaria, quo victores regnum ingrediantur caeleste. Magna vero eorum est imbecillitas, totque circumsepti sunt hostibus, vt facillime labantur et in praecipitia ruant. Quum autem Spiritu roboris sint obsignati, gratia diuina iis succurrit, vt fides stabiliatur, vt onere adflictionum pressi erigantur, vt viribus supernaturalibus aduersus hostium tentationes praemuniantur, vt nullum in via salutis damnum capiant, vt tandem victores eua-

solidas, quae firmae et immobiles stant. Hanc firmitatem non habent fideles a se ipsis, sed a Dei sigillo. Cuius sigilli vsus hic duplex proponitur. I. Signare electos, vti eos, qui Deo noti et dilecti sunt, et quibus vt peculio suo, quod carum habet et seruat, notas, dominii ac proprietatis suae testes, impressit. De eo dicitur: *nouit Dominus, qui sui sunt.* II. Imprimere iisdem similitudinem eius sanctitatis, quae in sigillo, id est, in Spiritu sancto est; per quam fit, vt ipsi sibi sollicite ab iniquitate et defectione caueant. Huc spectat: *abscedat ab iniustitia, quisquis nominat nomen Christi.* Nam qui in corde suo gerit hanc legem ei inscriptam, et legem propriam cordis factam, quam sibi ipsi identidem dictat, is, vti ex eo scire potest, se electum et dilectum Dei esse, ita etiam curate se Deo, cuius est, custodit. Vid. HERMANNVS WITSIVS *de Oeconomia Foed. Dei cum hom. Lib. III. c. XIII. §. XXXVI. p. 519. seq.*

euadant in omnem aeternitatem triumphantes. Diuina enim potentia per fidem custodiuntur ad salutem, vltimo tempore exhibendam. 1 Petr. I, 5. Diuina pax, cuius per Christum participes et per Spiritum sanctum certiores facti sunt, quaeque omnem mentem exsuperat, animos et cogitationes eorum in Christo Iesu custodit. Phil. IV, 7. Conf. Matth. X, 30. Zach. II, 8. Mal. III, 17. Ies. LVI, 10. Ezech. IX, 4. seqq. 6) Sequitur exinde, vt obsignati, *de sua perseuerantia ex Dei gratia certissime persuasi, et ex fruitione bonorum caelestium in communione cum Christo multos in sanctimonia facientes progressus, laeti bonoque animo securi, nullos hostium suorum callidissimorum ac crudelissimorum insultus extimescant,* sed, suffulti potius Spiritus robore efficaciissimo, intrepide exclament: Quis nos diuellat ab amore Dei? In omnibus aduersis exsuperamus per eum, qui nos adamauit. Rom. VIII, 34. 37. Christus enim eos, tamquam oues suas, Spiritu suo obsignatas, nouit, iisque vitam dat sempiternam; nec possunt hoc modo vmquam perire, nec Christo quisquam eos de manu erepturus est, nec ex manu Patris, qui maximus est omnium, quique eos vt peculium suum notauit, quisquam eos potest extorquere. Ioan. X, 28. 29. Conf. Matth. XVI, 18. Ioan. VI, 39. Ps. XXXVII, 28. XCVII, 10. Sap. III, 6. 7. Christus ipse, sponsus suorum caelestis, credentes, tamquam sponsam suam, fontem adpellat signatum, Cant. IV, 12: quoniam eam vult inuiolabilem esse, omnibus praeclusam inimicis, atque ope diuina diligenter custoditam. Signatio ergo fontis tutelam Dei indicat omnipotentis, qui Christo addictos paterne agnoscit, paterno prosequitur amore, paternamque eorum gerit curam. Hac freti summi Numinis tutela, serui Dei, in familiam diuinam recepti, et signaculo Spiritus sancti adornati, prouidentiamque Patris altissimi per totam hucusque experti vitam, grato profitentur animo: O quam multa sunt bona tua, quae tui metuentibus recondidisti, quibus tibi confidentes adficis coram humano

humano genere! Tu eos in tui conspectus latebra subtrahis hominum importunitatibus, eos quasi tegmento protegens a linguarum iurgiis. Gratias ago tibi, Domine, qui tua in me clementia mirifice vsus sis, in vrbe munita. Ps. XXXI, 22. 23. Hoc modo vita adoptatorum a Patre, Spirituque eius obsignatorum cum Christo latet apud Deum. Quum vero Christus, vita eorum, patefiet, tunc illi quoque vna cum Christo patefient glorioſi. Col. III, 3. 4. *)

§. LIX.

Spiritus in nobis promissa diuina confirmat.

VI. *Signaculo Spiritus aeterni testamenti benignissimi, sapientissimi, potentissimique Dei credentibus confirmantur promissiones* **). Quam ob causſam Spiritus obsignans ac sigillum promissionis Spiritus nominatur Eph. I, 13. Namque non solum a Deo promissus est; sed etiam promissiones euangelicas patefacit, omnibus offert, confert credentibus, eorumdem inscribit animis, atque inscriptas sigillo suo munit, quin immo ipse est sigillum, quo fideles obsignantur et de impletione promissionum diuinarum certiores redduntur. Stupenda neque satis admiranda hoc in negotio sese manifestat Dei nostri indulgentissimi clementia. Ab omni aeternitate gratiae bona ob sponsorem nostrum

*) Conf. *ven.* D. IO. GEORG. KNAPPII, *Fautoris et Amici mei omni obseruantia colendi, Dissert. III. de Perseuerantia credentium vsque ad finem.*

**) Quemadmodum in contractibus et commerciis, quas alii nobis litteras obsignarunt, in iis acquiescimus, iis confidimus; et in quibus nos immoti stare et euictionem praestare suscipimus; in quibus volumus, vt alii nobis tuto confidant, ea obsignare solemus: sic promissiones suas Deus sigillis stabiliuit; nostra conscientia Deo fidem firmat per fiducialem in verbo Dei acquiescentiam, et sancte recipit, se credituram, quidquid Deus per Filium promisit, nec diuinam veracitatem per infidelitatem eleuaturam, quidquid contra obiiciant satanas, mundus, caro, experientia. DANNHAVERVS *Disputat. Theolog. Part. I. Disp. XVI. p. 430.*

strum Deus nobis destinauit; pollicitus est eadem patribus ante reuelationem scriptam; consignauit illa per Spiritum suum inuiolabilibus vtriusque testamenti litteris; scriptum testimonium manibus nostris dedit, vt legere illud, contemplari ac meditari possimus; iurauit quoque, se promissa seruaturum; fidem in nobis excitat, qua promissiones saluberrimas adprehendamus; adplicat easdem animis nostris, immo inscribit, atque in iisdem digito suo omnipotenti caelat. Sed nec illa beneuolentiae diuinae signa sufficiunt luculentissima; litteras quoque suas, ad nos in verbo suo datas, et promissiones suas, nobis iamiam adplicatas, per Spiritum sanctum in nobis obsignat: vt de voluntate ipsius erga nos beneuola minime dubitare debeamus. Promittit itaque Deus, vt fidem verbis habeamus veracissimis. Si promissio in alienatis a Dei vita, propter ignorantiam et obdurationem animi, fidem producere haud valet, iurauit Deus; vt, si promittenti non credimus, saltem pro salute nostra iuranti credamus *). Si vero adhuc in hac re ardua animo nostro fluctuamus, fidemque pleniorem Deo promittenti et iuranti denegamus, addit Deus sigillum suum sanctissimum, quo omnis cesset dubitatio, et πληροφορίαν τῆς πίστεως animum nostrum occupet, nosque impellat, vt μετὰ παῤῥησίας ad gratiae solium accedamus, plenaque fide aditum habeamus ad Deum nostrum clementissimum, qui, mentiri nescius, omnia certissime implebit promissa, quae Spiritu suo, tamquam πνεύματι ἀληθείας, testeque veraci atque omni exceptione maiore, obsignauit: praesertim quum promissio ipsius firmissima sit, non ob merita nostra, quae plane nulla sunt, sed ob illius misericordiam et ob redemtionem Sponsoris nostri, nostro loco susceptam absolutamque. Absit itaque omnis animi trepidatio omnisque metus anxius et seruilis. Deum habemus veracissimum, veracissime promittentem, serio iurantem, firmiterque promissa sua obsignantem. Quis amplius

*) *O beatos! quorum caussa Deus iurat. O nos miseros! si ne iuranti quidem credimus.* TERTVLLIANVS.

plius dubitare vellet? Obsignatio sane omne dubitandi genus expellit, animumque fidelium firmum facit atque confirmat nos, omnes Dei promissiones tales esse, vt in ipso sint etiam, et in ipso sint amen, siue ita, ad Dei gloriam, qui nos confirmat, et vnctione, et obsignatione, et donatione arrhae, nempe Spiritu suo, veluti vnguento, sigillo atque arrhabone nostro. 2 Cor. I, 21. 22. *) Ingens ex hoc beneficio resultat fidelium praerogatiua. Namque 1) Spiritus sanctus effunditur in eos, tamquam *Spiritus gratiae et precum.* Zach. XII, 10. Datur non solum Spiritus ex gratia nosque ob Christum Deo gratos facit; sed et testatur de fauore Dei erga nos, nec non in nobis operatur, vt dona diuina gratuita cum dulcissima animi voluptate sentiamus, et ex sensatione eiusdem impellamur, vt cum Deo nostro loquamur, veluti cum patre benignissimo, in omnibusque illius opem fidenter imploremus eamque certissime obtineamus. 2) *Ad possessionem veram ac fruitionem suauissimam bonorum euangelicorum filios Dei perducit*, adplicando

 ipsis

*) *Sigillo munire*, inquit SALOMO GLASSIVS *Rhet. S. libr. V. Tr. I. Can. VII*, seu obsignare dicitur Deus, *cum homines praecludit quasi, et prohibet, ne operentur; Iob. XXXVII, 17; cum amoris, praestantiae et auctoritatis concessae documenta edit; Ioan. VI, 27; cum pios in veritate et pietate confirmat et conseruat, 2 Cor. I, 22, sicut homines, quae rata facere et confirmare volunt, signum iis imprimunt.* Quibus respondent, quae MARTINVS CHEMNITIVS *Loc. Theol. Part. II. p. 276* protulit hoc modo: *Obsignatio extra omnem controuersiam iis adhibetur, quae volumus aliis, ad quos illa pertinent, indubitata et quam certissima esse. Et vsus eius est, non vt dubia et incerta reddantur ea, quae obsignantur, sed vt omnis dubitatio et haesitatio, quaecunque posset incidere, per obsignationem remoueatur. - - - Deus propter hanc caussam adhibuit obsignationem Spiritus, quia nouit figmentum nostrum, quod naturaliter dubitatio haeret in animis nostris. Illam certe non voluit probare vel confirmare, quando adhibuit obsignationem, et quidem pretiosissimam, nempe per ipsum Spiritum sanctum. Haec sunt illustria et firma.*

ipsis specialissime beneficia diuina, atque excitando in ipsis fidem saluificam, per quam cum Christo vniuntur, in communione cum ipso seruantur, omniumque benedictionum caelestium participes redduntur. Vnicuique enim adflicto et moerore animi ob peccata commissa adfecto non solum adclamat: confide, fili, remissa sunt tibi peccata tua; Matth. IX, 2; sed omnes etiam laborantes atque onustos ex Christo, salutis fonte, vere recreat, vt blandissimam inueniant ac sentiant requiem. c. XI, 28. 29. Praeparat animos, Christo deditos, vt vasa gratiae, suamque opulentam gratiam in ea declarat, vt ad omnem plenitudinem Dei impleantur, omnique bonitate diuina saturentur. Rom. IX, 23. Eph. III, 19. Ier. XXXI, 14. Atque vt omnibus adpareat, quantum hac in re discriminis sit inter fideles et incredulos, eos, qui clamanti Deo non responderunt, Deum loquentem non audiuerunt, et, quod Deo displicet, fecerunt, idque, quo Deus non delectatur, elegerunt, hoc modo adloquitur: Ecce, serui mei comedent, vos autem esurietis; ecce, serui mei bibent, vos autem sitietis; ecce, serui mei laetabuntur, vos autem erubescetis; ecce, serui mei canent prae hilaritate animi, vos autem clamabitis prae dolore animi, et prae contritione spiritus eiulabitis. Ies. LXV, 12. 13. 14. Sunt enim increduli absque Christo, abalienati a statu Israelis spiritualis, et extranei, quod ad pactorum promissiones attinet, spem nullam habentes, Deique expertes in mundo. Eph. II, 12. Credentes autem semen Dei electum sunt, ad quos felicitas omnigena peruenit per Christum Iesum, promissumque Spiritus adipiscuntur per fidem, Gal. III, 13, vt gustent et videant, quam bonus sit Iehoua, quamque felix sit homo, qui ei confidit. Ps. XXXIV, 9. 3) Admonentur praecipue credentes et per sigillum Spiritus confirmantur, *quod Dei fruantur prouidentia specialissima, eaque versetur circa minutissima.* Promisit Deus: erudiam te, et qua via tibi sit eundum, ostendam, tibi oculo

meo

meo consulens; Ps. XXXII, 8; et iterum pollicitus est Dominus omnipotens: non deseram te, neque derelinquam. Hebr. XIII, 5. Quem itaque in Dei sanctuarium precibus suis ingrediuntur, Ps. LXXIII, 17, Spirituque Dei fortiter sustentantur, neque dubium de impletione promissorum diuinorum in animis remanet; tunc sedata ac tranquilla mente confitentur: Tecum, o Deus, iugiter futurus sum, comprehendisti manum meam dexteram; tuo ergo consilio me ducas, vt tandem in gloriam me recipias. Ps. LXXIII, 23. 24. Certissime quoque ex interno Spiritus sancti testimonio sunt persuasi, Dei amantibus omnia ad bonum conferre, qui diuino decreto sunt vocati, nec non sigillo Spiritus obsignati. Rom. VIII, 28. Quid ergo mirandum supereſt, quod sigillo diuino praediti in omnibus viis Deo vnice se commendent et tradant, quum eos non fugiat, Patris caelestis prouidentiam cuncta gubernare, Sap. XIV, 3, eorumque capillos capitis omnes numeratos esse? Matth. X, 30. 4) Inprimis vero obsignat Spiritus in credentibus *testimonium de Christo*, testisque in ipsis veracissimus est omnium bonorum, quibus a Christo largiter donantur. Ad hunc finem a Patre proficiscitur, a Filio Dei mittitur, ipseque Spiritus venit, vt de Christo testetur, Ioan. XV, 26, eumque glorificet. c. XVI, 14. Testatur autem de Christo, tamquam ipsa ἀλήθεια, et τῆς ἀληθείας πνεῦμα, eum esse Filium Dei, verumque Messiam, qui adsumta humana natura totum genus humanum redemerit, eumque ad nos et aqua et sanguine venire, vt vera eum fide recipiamus, a peccati sordibus mundemur, Deo grati acceptique reddamur, eiusque efficacia mundum vincere et promte velimus et valide possimus. Hoc testatur Spiritus non solum externe in verbo suo, sed etiam interne in animis credentium, fidem, fideique victoriam in ipsis augens atque obsignans. 1 Ioan. V, 6. Quare Paulus de semet ipso adfirmat, Gal. I. 16, quod Pater Filium suum in ipso, per Spiritum sanctum nempe, patefecerit, Christusque in

in precibus suis, ad Patrem directis, testimonium discipulis suis perhibet, quod ipse in illis sit glorificatus. Ioan. XVII, 10. Hocce de Christo Spiritus sancti testimonium non nisi ab hominis, vera fide praediti, spiritu recte percipitur, nec quisquam solidam, viuam et salutarem de Iesu Christo, Mediatore vnico, conuictionem habere potest, nisi qui testificationem Spiritus sancti in salutis ordine intra animum suum recte admittit. Hac praerogatiua vere credentes tantummodo gaudent, qui a Spiritu sancto, veritatis teste, cum verbo scripto efficacissime concurrente, veram Christi rerumque diuinarum cognitionem sibi instillari sinunt. Hi enim sunt θεοδίδακτοι, Ioan. VI, 45, et, a sancto vncti, et per sanctum obsignati, noverunt omnia; neque ipsis opus est, vt quisquam eos doceat, quippe quum vnctio, quacum obsignatio coniuncta est, eos cuncta doceat, veraque ea sit, et falsitatis expers. 1 Ioan. II, 20. 27. Conf. Ier. XXXI, 33. 34. Ducuntur enim a Spiritu veritatis in omnem veritatem. Ioan. XVI, 13. Vnde conuictio interna de doctrinis reuelatis oritur *), Christusque cruci adfixus ab iis agnoscitur, tamquam Dei potentia Deique sapientia.

*) Inter argumenta, quibus, tamquam principiis cognoscendi, ad probandam scripturae sacrae auctoritatem diuinam vtimur, externo ecclesiae testimonio adiungi possunt aliae circumstantiae; item, motiua quaedam interna, petita ex aliquibus scripturae proprietatibus: verum haud pertingunt talia ad diuinam fidem gignendam, nisi ipso conscientiae vsu experiamur ἐνέργειαν Spiritus sancti, e verbo testantis intra animum nostrum. Si quis neget, se istam posse agnoscere; huic respondet ipse Dominus Ioan. V, 40. VII, 17. Vid. IOACH. IVST. BREITHAVPT *Institut. Theol. Tom. II. p. 322.* Θεοπνευστία verbi diuini creditur propter adducta κριτήρια externa fide tantum humana: accedente autem confirmatione Spiritus sancti, qui mediantibus internis κριτηρίοις obsignat hanc fidem in singulis fidelibus, fit demum fides diuina. Vid. IO. HÜLSEMANNI *Vindic. Scripturae sacrae p. 218.*

pientia. 1 Cor. I, 24. Experiuntur in se verba Christi, quod sint spiritus, et vita sint; quia Spiritus eadem viuificat. Ioan. VI, 63. Quare numquam a Christo se dimoueri patiuntur. Sentiunt ex Christo laetitiam in Spiritu sancto, Rom. XIV, 17, implentur omni gaudio et pace, vt spe abundent per virtutem Spiritus sancti, c. XV, 13, norunt, cui crediderint, et ipsis persuasum est, Iesum Christum depositum ipsorum in diem extremum custodire. 2 Tim. I, 12. In omnibus itaque tentationibus vexationibusque mentem suam firmumque suum propositum erga Seruatorem suum dilectissimum, in ipsisque illustratum, ita cum discipulis eius declarant: Domine, ad quem abeamus? tu aeternae vitae verba habes, et nos credimus et nouimus, te esse Christum, viuentis Dei Filium, a quo omnis nostra vera salus vnice dependet. Ioan. VI, 68. 69. 5) Oritur hinc in credentibus *experientia spiritualis*. Quemadmodum in verbo diuino scriptum legunt; ita per Spiritum Dei in animis suis sentiunt. Replentur enim voluntatis Dei cognitione cum omni sapientia, prudentiaque diuina, excellunt quoque caritate magis magisque in cognitione omnique sensu, seu perspicientia, vt praestabilia adprobent, atque ita se gerant, quemadmodum Deo dignum est, vt ei omnino placeant, in omnibus recte factis fructum ferentes, et in Dei cognitione salutari crescentes. Phil. I, 9. 10. Col. I, 9. 10. Spiritualis haecce experientia mediante verbo scripto in fidelibus existit, ad normam codicis sacri semper examinanda est, nec tantum dulcedinem quamdam sensibus externis adfert, sed internam potius promouet animi tranquillitatem, nec non vires, a Deo in regeneratione nobis concessas, adauget, quibus instructis haud leues in via sanctimoniae facimus progressus *). Vera itaque ac diuina praediti experientia, Deo promit-

*) Experientia haec bifariam diuina est: tum quatenus efficitur a Spiritu sancto; tum quatenus cognoscitur ex verbo Dei talis, qualem

promittenti, iuranti atque obsignanti, laeti respondent, et teste conscientia in Spiritu sancto vere iurant, immo hilari confitentes mente et ipsi actiue obsignant: In Iehoua tantummodo nobis omnis iustitia est, et robur. Ies. XLV, 24. Ex iustitia Iehouae, ipsis imputata, omnis animi oblectatio fluit, et ex robore diuino fructibus iustitiae replentur, qui per Iesum Christum ad gloriam laudemque Dei pertinent. Phil. I, 11. Gustus ergo diuini fauoris, quo recreantur atque exhilarantur obsignati, a potentia diuina, qua iidem ad omne recte factum bene comparantur atque excitantur, diuelli nequaquam potest *); ambo potius bona nexu arctissimo coniuncta sunt, atque hypocritica est delectatio, si sanctum et indefessum studium, Deo inseruiendi, totamque vitam legi diuinae conformem rite instituendi, non accedat. Qui namque Spiritus sanctus promissiones diuinas obsignando in credentibus implet, idem quoque eos ad quaeuis officiorum genera sedulo praestanda, efficaciter impellit. Vnius itaque positio non est alterius exclusio: immo vitae sanctimonia verissime testatur de gaudio diuino, quod promissiones diuinae, fide acceptae spirituque confirmatae, in credentibus gignunt. Quum enim Deus per euangelii suauitatem animos suorum dilatauerit, tunc

lem oportet esse. Ita ratione suae efficientiae resoluitur in operationem Spiritus sancti, ratione vero notitiae, determinata infallibilitate certae, resoluitur in scripturam sacram, vnde recognitio et examen tum ipsius experientiae, tum rerum, circa quas illa experientia versatur, depromi potest ac debet. HOEPFNERVS *de iustif. Disp. VIII. c. I. Aphor. III. §. 15.*

*) Si pro donis debemus Deo gratiarum actionem, secundum normam verbi diuini, quomodo gratias rite, et, vt verbum Dei postulat, agemus, nisi gratiosa et gratuita illa dona nos habere, certitudine diuina prius cognoscamus? HOEPFNERVS IDEM *Disp. VI. c. II.*

tunc viam praeceptorum eius illico percurrunt. Pſ. CXIX, 32. *)

§. LX.

VII. Ex prolatis facile adparet, *credentes de ſtatu ſuo gratiae firmiter perſuaſos eſſe*; qua certitudine ex Spiritus ſancti obſignatione gaudent. Sciunt enim, ſe a Deo eſſe, 1 Ioan. V, 19, Deumque in ipſis manere, ſeque in Deo; quoniam Spiritu ſuo Deus ſibi fide addictos donauit. 1 Ioan. III, 24. Nolo impraeſentiarum omnes repetere rationes, quibus certitudo credentium de ſtatu ſuo gratioſo euinci poſſit; ſed ad vnum tantummodo locum prouoco claſſicum, omnia hac in re dubia tollentem ex animo, et in veritate orthodoxa, quam eccleſia noſtra contra aduerſarios noſtros tuetur, nosmet ſtabilientem, corroborantem nec non confirmantem. De *adoptionis Spiritu*, qui nos clamare facit: Abba, Pater! Paulus adfirmat Rom. VIII, 16, *quod vna teſtetur cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei.* Duobus ergo teſtibus credentes vtuntur. Alter eſt ſpiritus eorumdem, alter vero Spiritus ſanctus. Vterque teſtatur, quod ſint filii Dei; vnde firmiſſima perſuaſio de adoptione eorumdem in familiam Dei oritur. Vtriusque teſtimonium effectus eſt obſignationis, quam a Deo, Patre benigniſſimo, habent. Spiritus eorumdem eſt animus illuminatus et ſanctificatus, cui imago diuina impreſſa eſt. Spiritus ſanctus, tamquam ſigillum gratiae, in ipſis habitat, quo ad certitudinem fidei et ad confirmationem in ſtatu gratiae a Deo ſunt donati. Vterque teſtis ad vnum idemque conſpirat teſti-

Credentes de ſtatu gratiae firmiter ſunt perſuaſi.

*) Discutiant ſeſe fidelium mentes, et intimos cordis ſui affectus vera examinatione diiudicent, vt, ſi depoſitum aliquid in conſcientiis ſuis de fructibus caritatis inuenerint, Deum in ſe eſſe non dubitent. LEO *Serm. II. de Paſch.* Nemo interroget hominem; redeat ad cor ſuum: ſi ibi inuenit caritatem, ſecurus ſit, quia tranſiit a morte ad vitam. AVGVSTINVS *Tract. V. in epiſt. Ioan.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0061
DFG

monium, quo adoptionis suae fideles certiores fiunt. Testimonium vtriusque a se inuicem separari ac diuelli nequaquam potest. Ne habemus quidem spiritum, seu vires supernaturales, si Spiritus sancti gratia inhabitante non praediti sumus. Iud. v. 19. Nec Spiritus sanctus in nobis est, si lumine diuino et virtute caelesti caremus. Gal. V, 22. Licet autem vtriusque spiritus testimonium idem sit, eumdemque habeat finem, nec non harmonia arctissima inter se collineet, attamen suo quodque modo, gradu et ordine seorsim considerari potest *).

Spiritus

*) *Animus hominis est instar tabulae, in qua certa quaedam veritas, testimoniis firmata vel firmanda, conscripta est. Veritas illa est doctrina euangelii. Testes, qui eam signarunt, sunt Christus ipse, Christi Pater, opera et miracula Christi, eiusque casus notabiliores mortis, resurrectionis et adscensus in caelum, a prophetis praenunciati: tum deinde apostoli, euangelistae, et totus chorus doctorum noui foederis. Sic scripta, sic signata est haec tabula, sed nondum confirmata. Illa autem confirmatio in credente duplici modo concipi potest fieri: vel ab ipso, vt iudice diuini testimonii, per conscientiam, vel a Spiritu sancto, per charismata et dona gratiae in homine testimonium edente de veritate doctrinae illius, tot testibus confirmatae. Prius hac ratione peragitur. Audit homo et percipit hoc dictum: Christum esse Sospitatorem mundi. Id animo ipsius impressum est, vt tabulae. Audit tot testes, illud confirmantes. Illi simul in animo ipsius illi μαρτυρίῳ sunt subscripti. Quid igitur? Multos nouit esse falsos testes. Erigit igitur domum iudicii, vel tribunal in conscientia sua, et cupit de testium veritate plene esse persuasus. Citat igitur testes ad comparendum. Quod reuerenter dictum esto, et recte accipiendum est. Nam Deus hominem facit in scriptura iudicem sui testimonii. Examinat homo legem et prophetas. Instituit inquisitionem et perscrutationem testium. Confert testimonium Mosis cum testimonio prophetarum; testimonium Patris et Filii cum testimonio Mosis et prophetarum; opera Christi confert cum testimonio Christi et Patris eius; et cum his omnibus comparat testimonia discipulorum Christi.*

Spiritus nostri testimonium in eo consistit, vt, si gnorismata fidei, in sacris paginis proposita, in nobis reperimus, ex iisdem intelligamus, nos in filiorum Dei numero esse, paterno amore Dei frui, aditumque nobis patere ad Patris caelestis solium. Hinc animi, de felicitate sua ex indiciis indubitatis sibi conscii, oritur tranquillitas ac securitas, quam gaudium sequitur inenarrabile conuictioque solida, quod in statu gratiae simus.

sti. Accedit iam Spiritus sanctus, qui illum interna animi illuminatione facit agnoscere illa testimonia. Quando comperit, omnia inter se consentire; hinc sequitur iudicium, quod huiusmodi est: Prodiit illud μαρτύριον de Christo coram me, et omnibus probe examinatis testibus comperi, amice eos consentire; vnde confirmo et stabilio illud. Atque haec est ἡ βεβαίωσις τοῦ μαρτυρίου in ipsis credentibus, qua subscribunt ipsi τῷ μαρτυρίῳ τοῦ Χριστοῦ, et noui euadunt illius testimonii testes iudiciales. 1 Ioan. V, 10. Ioan. III, 33. Sed praeter haec est quoque aliqua βεβαίωσις, confirmatio, doctrinae euangelicae, vt consignata est in animo credentium, quae fit a Spiritu sancto, tamquam iudice, suo testimonio illam quasi obsignante et confirmante: de qua Ioannes 1 ep. c. V, 6; et Spiritus est, qui testatur, Spiritum esse veritatem. Veritas enim euangelii, testibus suis signata, peculiarem quandam σχέσιν habet ad Spiritum sanctum: cuius est, illam veritatem suis χαρίσμασι et operationibus gratiae obsignare et confirmare. Si enim verum est, quod in euangelio praedicatur, Iesum esse Christum; si testes, qui id adserunt, verum testificantur: oportet, illa euangelii praedicatio comitem habeat Spiritum sanctum cum variis operationibus gratiae in animo peccatoris, qui Spiritus suis illis donis et operationibus gratiae quasi discernit et diiudicat legem ab euangelio, et euangelium verum a falso, vt Paulus ad Galatas III, 2. Spiritus igitur sanctus, et in Spiritu ac per Spiritum, Pater et Filius, quasi sunt iudices, testimonium de Christo in animo credentium suis donis et operationibus gratiae quasi iudicialiter confirmantes, vt adeo credentes de illo testimonio amplius non dubitent. Conf. Ies. VIII, 16. Vid. CAMPEGIVS VITRINGA *in obs. sacr. Cap. 1. §. XIV. p. 512. seqq.*

mus. Quum vero hocce spiritus nostri testimonium ob φιλαυτίαν pruuam, a qua nec credentes penitus liberati sunt, in deuia nos trahere atque in errores nocentissimos detrudere queat, omni nobis studio eo allaborandum est, vt istud sit ἀξιόπιστον veritatique omni ex parte consentaneum. Non enim deficiunt homines, qui ex peruersissima persuasione se diuites ditatosque esse dicunt, nec vlla re indigere putant, neque, supina laborantes ignorantia, sciunt, se esse aerumnosos, et miseros, et pauperes, et caecos, et nudos. Apoc. III, 16. Deum se scire profitentur, et eumdem factis negant, ideoque nefarii sunt, et contumaces, et ad omnem rem bonam inepti. Tit. I, 16. Immo tanta est caecitas nonnullorum, qui sibi se iustos esse persuadent, aliosque contemnunt, Luc. XVIII, 9, vt etiam Christo in iudicio extremo dicturi sint: Domine, Domine, nonne tuo nomine vaticinati sumus? et tuo nomine daemonia expulimus? et tuo nomine multa prodigiose fecimus? Quibus vero Christus, καρδιογνώστης omniscius, aperte respondebit: Numquam cognoui vos, veluti sanguine meo conspersos ac Spiritu meo obsignatos; facessite a me, malefici. Matth. VII, 22. 23. Isti hypocritae manifeste declarant, quam fraudulentum sit cor hominum, et fatuis eos adnumerandos esse, qui proprio cordi confidunt, Prou. XXVIII, 26. Quippe in re maximi momenti, quae ad salutem pertinet aeternam, egregie se decipi sinunt.

§. LXI.

Testimonium spiritus nostri.

Ne vero horum vestigia premamus turpissima et fallacissima, duo in anteceſſum momenta accuratissima mentis trutina sunt considerauda. Alterum est, vt gnorismata, quae extra dubitationis aleam ponunt, et luculentissime docent, nos veros et genuinos Dei filios esse, ex sacro codice satis perspecta recteque cognita habeamus. Alterum vero, vt earum rerum, quae intus in nobis geruntur, conscii nobis simus, vtque explorationem diligentissimam atque examen operosissimum

mum instituamus, vtrum ita simus animati diuinitus, quemadmodum Deus in verbo suo eos notauit, qui in communione cum Christo vere viuunt, quosque vt filios suos adoptauit. Isto ordine si procedamus, tunc demum spiritus noster vere et indubitate testari potest, an filii Dei simus, nec ne. Nisi enim filiorum Dei criteria in nobis reperiantur, quomodo in verbo diuinitus scripto leguntur, in familia Dei nequaquam numerari possumus. Indicia filiorum Dei plurima in sacro codice recensentur: potiora eorum eo respiciunt, vt vera fide praediti 1) mentem Christi habeant, 1 Cor. II, 16, eumque sequantur; 1 Ioan. II, 6; 2) in luce versentur, sicuti Deus in luce est, 1 Ioan. I, 7, neque carnis cupiditatem perpetrent, Gal. V, 16, sed potius sint imitatores Dei, vt filii dilecti; Eph. V, 1; 3) amore filiali patrem suum caelestem amplectantur, 1 Ioan. IV, 19, praeceptaque eiusdem ex intimo animi adfectu feruent; Ioan. XIV, 23; 4) Deum reuerenter in Christo colant, 1 Petr. I, 17, delictorum suorum veniam supplices expetant, Ps. CXLIII, 2, et ad quaeuis officia pietatis promtos paratosque se illico sistant; Ps. CX, 3; 5) verum denique amorem erga omnes homines, ne hostibus quidem exceptis, Matth. V, 44. 45, praecipue vero φιλαδελφίαν pura mente atque impense exerceant. 1 Petr. I, 22. 2 Petr. I, 7. Haec gnorismata ita sunt comparata, vt in omnibus Dei filiis adpareant, licet diuerso modo, nec pari mensura. Alii enim, qui gratia Dei fideliter vtuntur, distinctius atque accuratius imaginem Dei ipsis impressam declarant in omnibus suis actionibus; alii autem multis adhuc infirmitatibus sunt obnoxii, multisque circumdati impedimentis, vt habitum nouum, a Deo acceptum, vix in se sentiant ac difficulter demonstrent, sinceritati tamen studeant, atque gratia et robore Christi suffulti, in dies progressus in sanctimonia faciant, ipsi quamuis non semper eos in se satis distincte animaduertant. Quod plerumque ex nimia sui diffidentia fieri solet, nec non ex vsu mediorum

rum salutarium neglecto, neglectaque salutis a Deo iamiam impertitae conseruatione eiusque abusu. Hinc enim sensus reliquiarum peccati vehementior, gustus gratiae diuinae defectus, magnaque animi ariditas oritur, nec desunt tela satanae ignita. Vnde animus vere credentis grauiter tentatur, adflictaque conscientia de gratia Dei dubitare incipit. Quemadmodum vero natus ex Deo extra statum tentationis ex criteriis indubitatis certissime perspicere potest, se in Dei communione viuere: ita nec illis, qui, tentati, se excidisse gratia Dei, eaque iam indignos haberi, atque omni eiusdem spe priuatos esse, ex conscientia erronea putant, facultas deest, ex indiciis veris rectissime diiudicandi, quod Deum habeant propitium, eoque, veluti filii, vtantur Patre clementissimo. Huc spectant verba Ioannis 1 epist. III, 19. 20. 21. 22, quae ita se habent: *In hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus, et coram Deo tranquillamus corda nostra; quod, quando condemnet nos cor nostrum, maior sit Deus corde nostro et omnia cognoscat. Dilecti, quando cor nostrum nos non condemnat, parrhesiam habemus ad Deum; et quidquid petimus, accipimus ab ipso, quia mandata eius seruamus, et ea, quae placent, coram ipso facimus.* Loquitur Apostolus de testimonio spiritus nostri, vnde certitudo de υἱοθεσίᾳ nostra ortum trahit. In duplici vero statu vere credentes proponit. Alii sunt in statu adflicto, alii in statu integro citraque tentationem constituti. Vterque horum ex criteriis certis dignoscere potest, quod sit ex Deo natus. Gnorisma est in genere obseruatio mandatorum diuinorum, in specie vero amor erga fratres sincerus. Haec indicia sunt effectus gratiae, per quam Deus nos adoptauit. Effectus ergo testatur de sua caussa, fructusque sancti arboris bonae indolem declarant. Numquam enim praeceptis diuinis pareremus, nec φιλαδελφία in nobis reperiretur, nisi ex Deo geniti viribusque diuinis donati essemus. Quodsi ergo vel maxime tentatorum cor eos condemnet, arguat et reprehendat, bono

tamen

tamen animo esse possunt, quoniam criteria certissima in se deprehendunt, quae de statu eorum gratiae siue de eorum υἱοθεσίᾳ luculentissima edunt testimonia, quaeque Deus omniscius optime cognoscit. Quare a iudicio conscientiae suae erroneae et fluctuantis inferiore prouocat tentatus ad iudicium Dei veracissimi superius, et ex sensu atque praxi φιλαδελφίας, quam in se animaduertit, nec in dubium vocare potest, certo colligit, se esse in gratia Dei, Deumque, tamquam Patrem suum, ipsum nequaquam esse damnaturum. Vnde fit, vt ea cordi dubitanti persuadeat, quibus ad tranquillitatem coram Deo adducitur. Sincera enim verae caritatis fraternae praxis, de qua quilibet vel grauissime tentatus certus esse potest, regenerationis est indicium, confirmatque, eos, qui fratres amant, ex veritate Deique filios esse: atque ex hac consideratione et conuictione inquieti pectoris fluctus componuntur, et fidelis, fructus gratiae in se animaduertens, in conspectu Dei ambulans, et ad normam legis praescriptae vitam instituens, fiduciam de Dei gratia concipit atque in Deo secure adquiescit. Multo magis autem testimonium spiritus sui euidentissimum de statu gratiae habent, qui pacata et tranquilla fruuntur conscientia. Praecepta seruant diuina, faciuntque ea, quae Deo placent. Ex hoc gnorismate oritur spiritus sui testimonium, quod sint filii Dei. Quae conuictio παῤῥησίαν πρὸς τὸν Θεὸν gignit, nec non indubitatam de precum exauditione persuasionem: accipiunt enim a Deo Patre, quidquid, tamquam filii ipsius, in nomine Christi ab eo petunt. Quae exauditio maiorem de υἱοθεσίᾳ adfert certitudinem, diffidentiae, haesitationi atque anxietati cunctae oppositam. Sedulo autem hic cavendum est, ne animi nostri scrutinium perfunctorie instituamus, nec hypocritarum instar decipiamur. Sollicita atque accurata in hac re maximi omnino momenti opus est exploratione, vt omni studio absque philautia inordinata sedulo attendamus, vtrum indicia, quae de filiis Dei in sacro codice

leguntur, in nobis deprehendantur. Hoc quando spiritus noster euidentissime cognoscit, tunc testimonium perhibet firmissimum, nos paterno Dei amore frui, filiosque ipsius absque omni dubitatione esse; quae firma persuasio animum nostrum non nisi laetum, hilarem et tranquillum reddere potest, excitat quoque eumdem, nec non diuinis corroborat viribus nouis, ad exsequenda ea omni sinceritate, quae Patris caelestis voluntati conueniunt. Procedit autem spiritus noster, de υἱοθεσίᾳ nostra certiores nos reddens, ea methodo, qua in scholis vti solemus, cum ex propositionibus praemissis conclusionem elicimus. Praemissae quando firmo nituntur fundamento, tunc conclusio recte se habet. Illae autem si vitio quodam laborant, nec haec veritati consentanea est. Sedulo ergo dispiciendum est, ne in ratiocinio spiritus nostri opiniones quaedam fallaces inueniantur. Si enim antecedentes propositiones falsae sunt, falsa quoque est conclusio consequens. Maiorem in hoc syllogismo constituit criterium ipsum, quod in sacra scriptura expressis verbis legitur. Minor inuoluit adplicationem criterii ad statum animi nostri. Conclusio autem comprehendit testimonium ipsum nostri spiritus. E. g. Ioannes ait epist. I. c. III, 14. 15: *Nos scimus, nos a morte ad vitam transiuisse, quoniam fratres amamus. Qui fratrem non amat, manet in morte.* Hic inuenitur 1) propositio maior, quae exhibet υἱοθεσίας nostrae gnorisma certum, et ita se habet: quicumque fratres amat, ille vita praeditus est spirituali; et ex opposito: quicumque fratres odio habet, ille manet in morte spirituali. Hocce criterium est euidentissimum; quoniam nititur effato Dei veracissimi. 2) Nunc sequitur scrutinium conscientiae, quod spiritus noster instituit, explorans, vtrum amor fratrum in nobis locum habeat, vel non. Examinat ergo homo semet ipsum, vtrum ita erga fratres sit animatus, quemadmodum Deus a filiis suis requirit. Descriptio autem ac denominatio indolis et mentis nostrae internae

minorem

minorem constituit, et ita se habet: ego fratres vere amo, meique erga eosdem amoris mihi conscius sum; vel ex opposito: filios Dei, quos magni facere me oporteret, odio habeo, atque inimicitiam aduersus illos in me sentio. 3) Hinc denique pro diuersa praemissarum ratione conclusio existit diversa, quae dictamen conscientiae seu spiritus nostri exhibet testimonium, vel adfirmans, vel negans, nos filios Dei esse. Hoc modo vnusquisque hominum, qui salutis suae curam gerit, veritatisque studiosus est, facillime certus fieri potest, vtrum in Dei viuat communione, an non. Spiritus enim regenerantis effecta testantur de regeneratione ipsa. Quumque ea spiritus noster explorata habeat, quod in nobis ita reperiantur, quemadmodum ea verbum Dei proponit, ideo de statu gratiae nostro sine formidine oppositi testari firmiter potest, atque ex certissimis indiciis, quae menti repraesentat, facitque, vt eorum nobis conscii simus, persuadet nobis ac dictitat efficaciter, nos filios Dei esse, quos non solum Pater adoptauerit, sed etiam paterno prosequatur amore, quosque futuros constituat haeredes in omnem aeternitatem.

§. LXII.

Testimonium Spiritus sancti.

Huic nostri spiritus effato accedit quoque *altissimi Spiritus testimonium*, errare nescium, neque nos anxios et dubios de salute nostra relinquens. Namque συμμαρτυρεῖ αὐτὸ τὸ πνεῦμα τῆς υἱοθεσίας τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ. Est itaque Spiritus sanctus in fidelibus, qui, tamquam παράκλητος omniscius, profundissimorum mentis diuinae arcanorum ac consiliorum intime conscius et infallibilis eorumdem interpres, infallibili plane ratione de intimis amoris diuini erga nos recessibus testatur. Siquidem omnia generi humano adquisita, et in euangelio promissa bona credentibus in Christum non solum donat; sed et de gratia Dei eos efficaciter conuincit, et testimonium spiritus nostri ita confirmat, vt summa inde animi tranquillitas, suauissimum in aduersis omnibus solatium, et

maxima παῤῥησία in vnione cum Christo ac communione cum Deo triuno oriatur. Nostri spiritus testimonium non omne nobis dubium quouis tempore quauisque occasione, praecipue quando animus interdum sollicitatur ac perturbatur, eximit: conscientia enim aut plane nonnumquam errat, Ioan. IX, 40. 41. Apoc. III, 17, aut saltem vacillat, immo non raro nos damnat. 1 Ioan. III, 20. His nostris succurrit infirmitatibus Spiritus sanctus, animorum indagator omniscius, vna cum spiritu nostro testando verissime, nosque in eo firmissime confirmando, quod gnorismata υἱοθεσίας in nos omnino quadrent, veraque et genuina criteria, quae sacer codex de Dei filiis exhibet, in nobis credentibus inueniantur, ideoque nomina nostra inscripta sint vitae libro *). Luc. X, 20. Phil. IV, 3. Hoc illud est testimonium, quod *Dauid* precibus ardentissimis a Deo contendebat Ps. XXXV, 3: *Dic animo meo, salus tua ego sum.* Pari ratione *Iobus* in maximis ac vehementissimis suis anxietatibus, solatii diuini plenus, exclamauit: *Equidem noui, redemtorem meum viuere.* Cap. XIX, 25. Testificatio haec diuina et supernaturalis tenebrarum filiis atque in caecitate mentis suae prauae versantibus plane incognita est, qui nec spiritum illuminatum et sanctificatum habent, Iud. v. 19, nec spiritum veritatis accipere possunt; Ioan. XIV, 17; ideoque nec

*) *Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret iam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: quis enim es tu? aut quanta est illa gloria? quibusue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio, cui credidi, et certus sum, quia in caritate nimia adoptauit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur: quem nobis a patria nostra in hunc carcerem vsque demissum, firmiter, obsecro, teneamus, vt ipse nos subleuet, ipse nos trahat, et pertrahat, vsque ad conspectum gloriae magni Dei.* AVGVSTINVS apud CHEMNITIVM *Loc. Theol. P. II. p. m. 277.*

nec testantem illum de fauore Dei paterno in se audiunt neque experiuntur. Qui fide vincunt, illis Iesus tribuit, vt edant ex manna occulto, datque illis calculum album, et in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Apoc. II, 17. Ignorant autem increduli non solum, quid sit testimonium Spiritus sancti internum, sed et illudunt saepius ex supina inscitia eos, qui illud in se vere sentiunt, de eoque maximopere gloriantur. Vt vero momenta potiora testificationis huius diuinae breuiter attingamus, sequentia ad eam potissimum referimus. 1) Indicia electionis atque υἱοθεσίας nostrae ab effectibus sanctis petenda sunt: ad quos eliciendos Spiritus sanctus non solum mittitur; Ezech. XXXVI, 27; sed per quos etiam ipse testatur de gratiae nostro statu. Gal. V, 22. Rom. VIII, 14. 2) Illuminat idem mentis oculos, splendoreque diuino tenebrarum discutit nubes, quo fideles indicia regenerationis rite ex verbo Dei percipiant, iusteque ad interiorem animi sui statum adplicent, ne per phantasiam perditam, et per speciosas magis quam solidas rationes fallantur; atque hoc modo Christo adhaerentes in omnem ducit veritatem. Ies. XXX, 21. c. XXXV, 8. Rom. IX, 1. 1 Ioan. II, 27. 3) Christum in animis credentium glorificat, excellentiam ipsius oculis mentis repraesentando, atque illuminatos in eo confirmando, se omnes perfectiones sibi saluberrimas in Seruatore suo inuenire, eas ad se pertinere, suasque veriſſime factas esse, seque iisdem ad perennem suam salutem libere frui posse. 4) Testatur porro per experientiam spiritualem, bonaque diuina animis credentium ita insinuat, vt videant, sentiant et gustent promissa euangelica, in iisque cum dulcedine ineffabili mirabiliter delectentur. 5) Accedit quoque persuasio interna, verbis humanis non explicanda, quae credentes dilectosque Dei adoptionis suae certiores reddit, ex qua suauissimae blandissimaeque fluunt consolationes, nec non motus dulcissimi efficacissimique ad sanctimoniam omni nisu ac studio

indefesso prosequendam. 6) Nonnumquam denique modo plane extraordinario testimonium Spiritus sancti de certitudine ὑιοθεσίας suae in se animaduertunt, quando donum caeleste aeuique futuri virtutes gustant, Hebr. VI, 4, quando sugunt et saturantur vbere consolationum Dei, nec non delicias agunt e splendore eius; quando ad latus Dei portantur, et super genua Sponsoris sui oblectantur, diuinaque consolatione perfunduntur, vt quispiam, quem mater sua consolatur; Iesaiae LXVI, u. 13; quando sponsus sponsam suam osculatur osculo oris sui, Cant. I, 2, eamque introducit in locum conuiuii, siue cellam vinariam, et amoris velo tegit; cap. II, 3; quando tandem fideles gaudio exsultant ineffabili et glorioso. 1 Petr. I, 8. Haec sunt testimonia euidentissima, quae, vbi sunt, manifeste docent, nos in Dei familiam receptos esse. Tam candida credentium mentes per Spiritum sanctum perfunduntur luce, vt certissime sciant, se filios Dei esse. Haec autem testificatio non nisi experiundo cognosci ac diiudicari potest. Nemo quoque eiusdem sit particeps, nisi antea profundo miseriae sensu contritus fuerit. Nec vmquam animi fidelium dulcissimo Spiritus testimonio recreantur, vt non simul ad intensum verae pietatis studium virtute diuina excitentur. Nec denique credentes, spiritu laetitiae et firmitatis obsignati, tantorum obliuiscuntur beneficiorum, quibus Deus eos impertiuit; ita potius semetipsos adloquuntur: *Collauda, anima mea, Iehouam, et totum meum pectus, sacrum eius nomen. Collauda, anima mea, Iehouam, tot eius beneficiorum haud immemor. Qui tuis tot vitiis ignoscens, tuos tot morbos sanat. Qui vindicat ab interitu vitam tuam, clementia te et misericordia coronans, tibique de suo in te fauore benignissimo testimonium perhibens dulcissimum firmissimumque.* Ps. CIII, 1. 2. 3.

§. LXIII.

Confirmatio spie. VIII. Obsignatio denique Spiritus sancti *confirmat fide Iesu Christo vera addictis futuram haereditatem, quam in hac vita*

vita adhuc exspectant, et tandem in omnia secula possidebunt. Ex singulari Dei misericordia regeniti sunt in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, ad haereditatem, quae nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, in caelo seruatam illis, qui diuina potentia per fidem custodiuntur ad salutem, vltimo tempore exhibendam. 1 Petr. I, 3. 4. 5. Habent iamiam in hac vita fideles praegustum bonorum futurorum, quem Paulus Rom. VIII, 22 spiritus primitias nominat: sed gemunt, eodem Paulo l. c. testante, intra semet ipsi, adoptionem adhuc aliam in regno caelesti exspectantes, liberationem nempe sui corporis in die nouissimo. Vt vero, tamquam spei salutis galea induti, 1 Thess. V, 5, spemque propositam, velut ancoram habentes animi tutam atque firmam, et vsque in ea, quae sunt intra velum, ingredientem, Hebr. VI, 18, nulli de futura gloria dubitent; ideo Spiritu promissionis sunt obsignati. Iesus, Sponsor noster, haeres constitutus est primarius, ob obedientiam suam Patri praestitam absolutissimam. Hebr. I, 2. Sed eam ob caussam Mediatori nostro omnia tradita sunt bona, vt vitam det aeternam iis, quoscumque Pater ipsi dedit. Ioan. XVII, 2. Quare nobis iuit locum paratum in Patris sui domo, et rursus venit ad credentes, vt eos secum adsumat, vt, vbi ipse est, etiam illi sint, Ioan. XIV, 3. 4, tamquam cohaeredes donorum caelestium *). Rom. VIII,

*) Praeclara sunt, quae DANNHAVERVS *in hodosophia, phaenom. IX. p. m. 927, de* κληρονομίᾳ fidelium sequenti modo effatus est: *Insigne axioma est* ἐξουσία κληρονομίας, *quae ex iure filiationis per se sequitur, ex iure non tantum hebraeo, Num. XXVII, 6; sed et gentium, ac nominatim romano, quo lex quaedam tacita liberis parentum haereditatem addicit. Et* συγκληρονομίας *cum Christo, tamquam* πρωτοτόκῳ. *Ille* κληρόνομος πάντων *est, Hebr. I, 2: nos precario, atque illius fratris in nos merito et beneficio. Ipsum autem haereditatis nomen tria praecipua indicat: patrimonii caelestis gratiam indebitam, gratiae soliditatem, et pretium. Gratiam*

VIII, 17. Promissam hanc haereditatem ostentat Spiritus sanctus, et in eius exspectatione fide praeditos virtute sua diuina confirmat conseruatque, nec non de bonis futuris certissime adsequendis in animis eorumdem testatur. Vnde fit, vt diuinae gloriae spe glorientur, Rom. V, 2, ac censeant, ea, quae hoc tempore patienda sunt, nequaquam esse paria gloriae, qua sunt adficiendi. Cap. VIII, 18. Sciunt etenim ex interna Spiritus sancti testificatione, si terrestris suae domus tabernaculum dissolutum fuerit, aedificium se habituros esse a Deo, domum nullis manibus factam, et sempiternam in caelis. 2 Cor. V, 1. Ob illud testimonium de haereditate, post hanc vitam a fidelibus exspectanda, credentes spiritu obsignati dicuntur ad liberationis diem, Eph. IV, 30, Spiritusque, quo sunt obsignati, arrha, siue arrhabo adpellatur, quem Deus illis dedit, quos ad aeternam vitam praeparauit, 2 Cor. V, 5, quorumque cordibus indidit, quos obsignauit, 2 Cor. I, 22, quique arrhabo haereditatis nostrae audit, ad obtinendam redemtionem, ad laudem gloriae Dei. Eph. I, 14. Redemtio spectat hic partim ad diem mortis, quo ab omni malo fideles liberantur; 2 Tim. IV, 18; partim ad diem extremum, quo liberationem corporis quo-

tiam indebitam; nam si ex gratia, non est ex meritis. Omnis autem haereditas gratiae est beneficium, gratitudine quadam amplectendum, nullo tamen merito acquirendum. - - - Gratiae soliditatem: Differt enim patrimonium a muneribus. Munera sunt mobilia; at patrimonium possessio est soli, fixa, immobilis, inalienabilis. Talis enim fuit haereditatis terrae Canaan sortitio diuisa, vt nemini licuerit eam in perpetuum alienare. Denique pretium tribus elogiis commendatum a D. Petro ep. 1. cap. I, 4, vbi vocatur κληρονομία ἄφθαρτος, ἀμίαντος, καὶ ἀμάραντος. Ἄφθαρτος, quia omnis corruptelae; ἀμίαντος, quia omnis inquinamenti; ἀμάραντος, quia omnis defloreſcentiae secura; nec minuitur copia possessorum, (verba sunt August. in Ps. CXLIX) nec fit angustior innumerositate cohaeredum, sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0074
DFG

quoque exspectant. Rom. VIII, 22. Quum enim Spiritus eius, qui Iesum ex mortuis excitauit, habitat in nobis, is, qui Christum ex mortuis excitauit, etiam mortalia nostra corpora reuocabit in vitam, per habitantem in nobis Spiritum suum, Rom. VIII, 11, quem effudit super nos copiose per Iesum Christum, Seruatorem nostrum, cuius gratia et iusti et haeredes vitae, quae speratur, aeternae, facti sumus. Tit. III, 7. Quamdiu autem in hac peregrinatione ex Patris voluntate manemus, de liberatione certissime futura, et de haereditate in patria caelesti aliquando obtinenda nulli dubitare debemus. Promissio Dei veracissimi nos haesitare non sinit, et Spiritus, tamquam arrhabo nobis datus, omnes cogitationes dispellit fluctuantes. Non enim pignus tantum est gloriae nostrae aeternae *), nec solum testis nuptiarum cum Sponso nostro post hanc vitam celebrandarum: sed potius obses Dei est praestantissimus in animis nostris, confirmans nos de omnibus in futuro seculo promissionibus implendis, quae et animi a corpore soluti aeternam requiem, et corporis cum anima in die nouissimo coniunctionem, eiusque cum anima vniti glorificationem sempiternam respiciunt; immo est pars haereditatis nostrae, quae in antecessum nobis traditur, ex cuius inhabitatione in animis nostris suauissima atque efficacissima primordiis aeternae vitae cum maxima fruimur voluptate; quare fideles

*) Interest in loquendi vsu inter *pignus* et *arrham*. Nam *pignus* est, quod datur propter rem creditam, quae dum redditur, statim pignus aufertur. *Arrha* vero est primum, quod pro re, bonae fidei contractu emta, ex parte datur et postea completur. Est enim arrha complenda, non auferenda. Vnde, qui habet arrham, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem. ISIDORVS *libr. V. cap. 25.* Interim non raro haec vox sumitur pro pignore, nec semper obseruatur discrimen inter pignus et arrhabonem. Vid. ADAMI RECHENBERGII *Hierolex. Real. p. 127.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0075
DFG

fideles spiritus primitias in hoc seculo habere dicuntur. Rom. VIII, 22 *). Hocce arrhabone credentes ornati, sanctisque per eius virtutem repleti adfectibus et desideriis, norunt, cui crediderint, ipsisque persuasum est, Christum depositum eorum custodire posse in diem illum extremum; 2 Tim. I, 12. Et viuere ipsis Christus, et mori lucrum est, ideoque migrare cupiunt et cum Christo esse. Phil. I, 21. 23. Aduentum Domini sui amant, a quo iustitiae coronam sunt adepturi; 2 Tim. IV, 8; exspectantque eumdem a caelis, vbi conuersatio eorum est, qui et humile eorum corpus ita transfigurabit, vt eamdem cum glorioso eius corpore formam habeat, pro ea vi, qua ipse sibi subiicere potest omnia. Phil. III, 20. 21. Virgines sunt prudentes, quae oleum cum lucernis sumserunt in vasis suis, dum sponso suo obuiam proficiscuntur: quandoque sponsus venit, paratae sunt, et cum ipso ingrediuntur ad nuptias. Matth. XXV, 1. 4. 10. Sunt ipsis, velut seruis Iesu Christi obsignatis, latera succincta et ardentes lucernae, similes-

*) Quae de arrha prolixe dici possunt, DANNHAVERVS breuibus complectitur verbis, quae in *hodosophia, phoenom. IX. p. m. 935.* ita sonant: *Arrhabo sane certissimum est signum accipiendi, quod rei promissae, vel conductae, vel acquisitae possessionem. Arrha dicit 1) testimonium relatiuum, non solum veri obiecti, sed et certi, mihi. 2) Obsignatiuum, non tam rei quam personae, quo persona signatur, vt sciat, se in numerum eorum adscriptam, ad quos ius aliquod pertinet: sicut aureum torquem rex largitur suis equitibus, vt certum habeant, non tantum esse aliquos equites, quibus aliquid sit priuilegii, sed ad se nominatim id pertinere. 3) Repraesentationem rei habendae: est enim pignus quoddam repraesentatio rei futurae, in cuius locum illud datur. 4) Irreuocabilitatem, quoad fides ab altera parte seruetur. Dum contra pignus praestito promisso reuocari queat.* Inprimis autem commendanda est B. D. BENED. GOTTLOB CLAVSWITZII *commentatio de Spiritu sancto, arrhabone, vigiliis pentecostes anno* clo Io cc XXXXVII *Academiae nomine edita.*

similesque sunt hominibus, dominum suum exspectantibus. Luc. XII, 35. 36. Homines mundani apparitionem iudicis summi maxime metuunt et horrent, Spiritum promissionis quia non habent: fideles autem intensissimo in Christum ardent adfectu, eiusque aduentus ad iudicium mera ipsis est laetitia; vniti enim sunt cum ipso, quasi sponsa cum sponso, bonitatem ipsius in hac vita largiter sunt experti, bonum praevident exitum, et spe vitae praediti sunt aeternae: quare Spiritu sancto, sigillo et arrhabone, adfecti motique, exclamant animo hilari: veni, Domine Iesu! Apoc. XXII, 17. Sciunt enim ex testimonio diuino interno, se, tamquam filios Dei, quos Pater caelestis summo prosequitur amore, quum id patefactum fuerit, quid sint futuri, quod quidem ipsos in hoc mundo adhuc latet, similes fore Christi, fratris sui primogeniti: vtpote quem cernent, sicut est, 1 Ioan. III, 1. 2, coram quo παῤῥησίαν habebunt, neque erubescent in eiusdem aduentu. Cap. II, 28. Tantam debent felicitatem Spiritui sancto, qui promissa euangelica credentibus et confert et in animis eorum obsignando confirmat. Quapropter θαῤῥοῦντες πάντοτε, confidenti semper sunt animo, maximopere contendentes, vt et hic praesentes, et hinc absentes, Deo suo, in Christo, vi et efficacia Spiritus sancti, in ipsis habitantis, accepti sint placeantque. 2 Cor. V, 6. 9.

§. LXIV.

Obsignationis effectus.

Rationes nunc exposui, ob quas Spiritus sancti gratia concurrens et cooperans sub nomine sigilli in sacro codice nobis proponatur. Quae adhuc addenda puto, summatim comprehendam, ne filum dissertationis nimis longe extendere videar. Ex dictis vero vnicuique luculentissime patet, Spiritu sancto a Deo donatos omnium omnino hominum felicissimos summo iure adpellandos esse. Obsignatio enim summam hominis in hac vita constituit felicitatem, vt vere glorificatio huius vitae dici queat. Signati Spiritu Deum possident vt bonum sum-

summum, Ps. CXLIV. 15, gloriantur de diuitiis, quibus in Dei possessione fruuntur, Ps. XVI, 5. 6, diuinae participes facti sunt naturae, 2 Petr. I, 4, vt sponsa Christo, sponso suo, adhaerent, Hos. II, 19, eius opulentia ditantur, vbertate eiusdem pascuntur, eius potentia custodiuntur, eius virtute et prouidentia conseruantur, eius sapientia reguntur, eius benignitate recreantur, eius sufficientia implentur, eius omnipotentia corroborantur, eius suauitate refocillantur, eius consolatione confirmantur, eius benedictione exhilarantur, gratia denique eiusdem futurae gloriae certiores redduntur. Beatum ergo omni iure Dauid eum praedicat, quem Deus elegerit, quem sibi adpropinquare fecerit, vt habitet in atriis suis; saturatur ille bono domus caelestis, sancto palatii Dei. Ps. LXV, 5. Quando autem homo obsignatus immensam Dei erga se caritatem laeto animo sentit et gustat, tunc exardescit in ipso amor in Deum, patrem suum benignissimum, et ad cultum, Deo praestandum, et ardentior et alacrior redditur, ita, vt non aliter possit, quam eum redamare, a quo amatus est, eique pro tot tantisque beneficiis gratias habere deuotissimas, quas et animo habet, et agit, atque in tota vita omnibusque suis actionibus sancte declarat. Hocque demum indubium est indicium, si quis pietati sincero animo studet, eum a Spiritu sancto obsignatum, et vera laetitia a Deo perfusum esse. Quisquis enim in communione cum Deo ex gratia obsignante plenum habet gaudium: ille ex eiusdem gratiae impulsu in luce quoque ambulat, sicut Deus in luce est. Qui vero dicit, noui Deum meum, ipsiusque fruor bonitate, et tamen praecepta eius non obseruat, mendax iste est, nec in eo veritas deprehenditur*). 1 Ioan. I, 4. 7. c. II, 4. §. LXV.

*) Quando anima de immensa Dei erga se caritate ipso Spiritu auctore certior fit, exardescit redamatione mutua, erumpensque in effusas gratiarum actiones, mene, inquit, Domine, tam eximio, tam immerito honore decorasti, vt filii loco habeas; id nunc familiariter ipse mihi declaras, amorem tuum in cor meum effundendo

§. LXV.

Media obsignationis primaria.

Gratia obsignans non immediate ad nos venit, nec extraordinariam de statu nostro gratiae confirmationem a Deo exspectare debemus; quemadmodum vox clara et distincta e caelis audita est, quum Iesus baptizaretur, dicens: hic est Filius meus, in quo adquiesco; caelique aperti sunt, et Spiritus Dei, transcendens quasi columba, et super Iesum veniens, adparuit; aut quemadmodum angelus quondam Danielem tactu suo confirmauit, eique dixit: pone metum, vir desideratissime; saluus es, recipe te ac recollige: Dan. X, 18. 19: sed obsignamur et confirmamur diuinitus, verbo ac sacramentis Dei mediantibus. Verbum veritatis, seu euangelium salutis nostrae efficax in se est, et in nostram vtilitatem efficaciam suam exserit, quando illud audimus, legimus et meditamur. Per potentiam eiusdem fides in nobis producitur, Spiritusque obsignationis reddimur participes. Ephes. I, 13. 14. Non enim Spiritus sanctus tantum per verbum reuelatum atque inspiratum saluberrime in nobis operatur, sed per illud quoque ipse ad nos venit, atque in animis nostris inhabitat. Quare non imaginationi, non nostro nec aliorum iudicio, non somniis, non persuasionibus nostris, non insinuationibus philautiae nostrae fides in hac re ardua maximique momenti habenda est. Ea tantummodo confirmatio iusta est ac diuina, quae ex verbo scripto oritur, eidemque omni ex parte conuenit. Quare et omnes sensationes virtutesque, quas in nobis animaduertimus, ad normam sacri codicis examinandae sunt, et tunc demum pro diuinis reputandae, si consentiunt cum eodem. Quo quis autem maiorem adhibet diligentiam in scrutandis et recipiendis per fidem promis-

dendo per Spiritum sanctum, quem dedisti mihi: et ego te non vicissim omnibus viribus meis amem, colam, obseruem, obediam? Vtinam omnium rerum vacua sim, vt solo tui amore replear! WITSIVS in *Oeconomia Foederum Lib. III. Cap. XI. §. XL.*

promissionibus diuinis, atque in obseruandis praeceptis Dei; eo maiorem obsignationis gradum adipiscetur ac in se deprehendet. Sacramenta, diuinitus instituta, offerunt gratiam Dei, conferunt quoque eamdem credentibus, immo confirmant atque obsignant dona a Deo per illa nobis impertita. Circumcisionem Paulus vocat σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, quoniam Abrahamus, iustus a Deo ob fidem in Messiam antea declaratus, per eamdem in statu iusto confirmatus est. Idem dicendum nobis de sacramentis noui foederis; quod vsus baptismatis ac sacrae coenae legitimus et exhibet et donat et obsignat bona, a Deo in euangelio suo promissa. Prolixius vero de obsignatione sacramentali nunc exponere, nec scopus noster requirit, nec modus rei pertractandae breuior permittit. Opto autem ex animo, vt quiuis, Christo addictus, ita sacramentorum memor sit, vt, quoties pacti baptismalis recordatur, sacraque coena vtitur, id quod saepius a credentibus fieri solet ac debet, toties nouo sigillo muniatur, sibique firmissime persuasum habeat, Deum ipsi esse propitium, ad quem aditus ipsi pateat fiducia filiali, quique ab ipso ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ sit colendus *).

§. LXVI.

*) Conf. FRIDERICI GVILIELMI IAHR *diss. sub Praes.* CHRIST. FRID. BAVER *Vitembergae habit. de Sacramento Baptismi, gratiam diuinam in infantibus vere obsignante.* D. AEG. HVNNIVS *Q. Q. de Sacram.* de obsignatione sacramentali ita scribit: „Non principaliter panis et vinum habent vim obsignandi „nobis gratiam euangelio promissam; sed corpus et sanguis „Christi sunt pignora illa praestantissima, quibus aeternus „Dei Filius nobis sacrosanctas suas promissiones obsignat: pla„ne vt in baptismo non aqua principaliter, sed Spiritus sanctus „est pignus et arrhabo, haereditatem caelestem nobis obsignans." BASILIVS *Libr. III. contr. Eunom.* baptismum vocat σφραγῖδα ἀνεπιχείρητον. AVGVSTINVS *de Catech. rud. cap. XXVI.* sacramenta in genere nominat *visibilia rerum diuinarum signacula.*

§. LXVI.

Mediis primariis addo secundaria. Ad quae potissimum refero 1) *studium indefessum in vitae sanctimonia proficiendi fructusque fidei Deo gratos acceptosque edendi haud exiguos.* Quo magis enim diuinae participes reddimur naturae: eo magis corruptionem, quae in mundo est per cupiditatem prauam, effugimus. 2 Petr. I, 4. Animus autem vanitatis terrenae vacuus Spiritus sancti repletur donis, quae et confirmando eum in veritatibus caelestibus, et solatium ipsi praebendo dulcissimum, et vires a Deo iamiam acceptas corroborando in eo atque augendo efficaciam suam exserunt. Hoc modo vocationem suam atque electionem credentes firmam faciunt, 2 Petr. I, 10, neque sanctum Dei Spiritum contristant, sed eiusdem operationibus locum potius relinquunt salutaribus, quo obsignati sunt ad liberationis diem. Eph. IV, 30. Oritur inde atque administratur inoffenso pede in via Domini ambulantibus aditus ad aeternum Seruatoris nostri, Iesu Christi, regnum, 2 Petr. I, 11, magnaque adficiuntur laetitia, tranquilla fruentes in Christi communione conscientia, nec non de statu suo gratiae ex criteriis indubitatis atque ex interno Spiritus Dei testimonio certissime persuasi. Quare et ita diuinitus animati ab ipso Deo, Patre suo indulgentissimo benignissimoque, ita ad gaudium excitantur spirituale: Laetamini in Iehoua et exsultate, iusti; cantate omnes recti

Media obsignationis secundaria.

cula. TERTVLLIANVS *Libr. de Poenitent.* adpellat baptismum *fidei obsignationem*: et OECVMENIO *ad 1 Petr. III, 21* baptismus est *arrhabo et pignus bonae conscientiae in Deum.* Formam per sacramenta signandi in sacramentali, foederali, necessaria et mutua obsignatione sitam esse, dicit IOH. CONRAD. DANNHAVERVS *in Lact. Catech. Part. VIII. p. 193*; sigillaque sacramentalia nominat *p. 196 seqq.* 1) mnemoneutica praeteritae ἀμνησίας, 2) significantia praesentis gratiae, 3) excitantia bonae spei.

recti animo. Ps. XXXII, 11. Lux enim, tamquam symbolum laetitiae verae, sata est iusto, et rectis animo gaudium perenne. Ps. XCVII, 11. Quemadmodum vero animi laetitia effectus est obsignationis Spiritus sancti, per quam credentes et remissionis peccatorum et fauoris diuini paterni certiores fiunt: ita et gratia obsignans et conseruatur et maius in dies capit incrementum, quando sanctitatis studiosi sumus, et animi ac vitae prauitate Spiritus sancti efficaciam minime impedimus. 2) *Conuersatio et consuetudo cum Deo intimior aditusque per preces ad Dei solium frequentior, nec non mentis ad Patrem caelestem elatio in nomine Christi indefessa, cum intrepida animi confidentia coniuncta.* Mosis faciei cutis radiabat olim ex diuino colloquio. Exod. XXXIV, 29. Sic omnes credentes, Deum in Spiritu et veritate adorantes, atque in precibus suis adsidui, nec non coram Deo et ad praescripta diuina ambulantes, detecta facie splendorem Domini non solum spectant, sed in eamdem imaginem quoque transformantur ex gloria in gloriam, sicut a Domino, Spiritu; qui Patris effigiem, quam in Christo maxime apertam dedit, ex Deo natis magis magisque imprimit, eosque obsignatione sua Deo facit similes: vt, quemadmodum inter Deum, ipsique addictos vera ac fide haud fucata, nexus intercedit arctissimus; ita cognitione, sapientia, sanctitate, iustitia, ac reliquis virtutibus diuinis ornentur, atque ad Dei voluntatem magis conformentur. 3) *Fortitudo animi in aduersis, atque ὑπομονὴ haud interrupta in calamitatibus, nec non fida in tentationibus constantia.* Inde enim fit, vt a Deo explorentur et in adflictionis fornace efficiantur selecti; Ies. XLVIII, 10; vt expurgentur velut argentum, et tam puri reddantur, quam est aurum seu argentum, fidesque eorum explorata, auro, quod perit et igni exploratur, longe pretiosior inueniatur, ad laudem, et gloriam, et honorem, quum reuelabitur Iesus Christus. Maleach. III, 3. 1 Petr. I, 7. Hoc

modo

modo in aduersis imago Dei magis magisque in fidelibus restauratur: lauant enim inter adflictiones stolas suas et dealbant in sanguine Agni, Apoc. VII, 14, abiectoque omni pondere et peccato, ad eos circumcingendos procliui, per tolerantiam propositum ipsis stadium decurrunt. Hebr. XII, 1. Ad commodum itaque suum a Deo ipso castigantur, vt participes sint sanctimoniae ipsius: omnis namque castigatio diuina, si finem eius salutarem spectamus, iis, qui per eam sunt exercitati, fructum iustitiae reddit tranquillum, vt manus remissas et genua soluta erigant, rectasque faciant orbitas pedibus suis, et sanctimoniam omni studio sectentur, sine qua nemo videbit Dominum. Hebr. XII, 11-14. Sed ex incommodis credentium commodum quoque istud euenit, vt non tantum omnis consolationis Deus et misericordiae Pater in omni calamitate Christo vera adhaerentes fide consoletur; quanto enim maioribus propter Christum malis adficiuntur, tanto per Christum maior est eorum consolatio: 2 Cor. I, 3. 4. 5: verum etiam vt castigentur, tamquam a Deo amati, et verberentur, tamquam Patri caelesti grati acceptique, Hebr. XII, 6, qui fidelis credentium Deus suos non tentari permittit supra quam possunt, sed tentationis eum euentum facit, vt ferendo vincere possint, 1 Cor. X, 13, nec non post cruciatus animos eorum exhilarat donis suis spiritualibus, quae gustant ad salutem suam veram, et sentiunt cum intimo ac suauissimo spiritus sui adfectu. Qui enim serunt cum lacrimis, cum cantu metunt; quique flendo it, carum semen ferens, redit tandem cum cantu, suos ferens manipulos. Ps. CXXVI, 6. 7. Incrementum itaque gratia diuina in credentibus capit per calamitates et exhilarans et sanctificans; quare et accessiones in aduersis fiunt gratiae obsignantis.

§. LXVII.

Dicendorum ratio.

Silentio praetermitto reliqua media, quae adhuc ad-

 ducei

duci possent, vti inprimis sunt *examen status animi interioris*, Ps. CXXXIX, 23. 24, *abnegatio et suppressio mali adhaerentis*, Phil. III, 7. 8. seqq. Eph. IV, 22, *induitio noui hominis quotidiana*, Eph. IV, 23. 24, *legitimus vsus donorum gratiae iamiam acceptorum, eorumque conseruatio fida*, Matth. XIII, 12, *incrementum fidei*, Ioan. XI, 40, *traditio fidelis in manus Domini*, Ps. CXVI, 8, et quae sunt alia. Haec omnia enim cum memoratis fere conspirant, atque ex iisdem facillimo negotio elici possunt. Nec mentionem facio *impedimentorum* gratiae obsignantis: quia, mediis rite adhibitis, ea simul remouentur. Neque longior sum in repetendis *criteriis* a Spiritu sancto obsignatorum: ea enim per totam disputationem sparsim iamiam leguntur. Nec tandem occupatus ero in *commendando* tanto bono, quod fideles ex obsignatione percipiunt: res ipsa enim loquitur, vt is demum felicissimus omnium hominum sit censendus, qui obsignatus spiritu, de statu suo gratiae persuasus, in communione cum Deo triuno et laeto et sancto animo viuit. Nec denique in detegendis et refutandis *aduersariis*, qui vel in errore circa doctrinam de obsignatione versantur turpissimo, vel, more simulatorum pietatis, gratiam obsignantem perperam et absque fundamento iactitant, tempus et operam perdam: viam enim tutissimam monstraui, cum verbis sacri codicis plerumque locutus sum, vtque omnes sedulo caueant, docui, ne diuerticula in hac re ardua maximique momenti quaerant. Finem potius hic facio momenti dissertationis tertii *de obsignatione credentium passiua*; quartum *de actiua* post breve temporis interuallum additurus, ne lectorum exspectationem longius detinere ac plane eludere videar.

CORRIGENDA.

Pag. 53 §. XL lin. 4 leg. ad Christo vere vnitos dicitur: ἐν.

Pag. 61 §. XLV lin. 8 leg. ad vnam.

Pag. 78 §. LV lin. penult. leg. ad nos venit.

Pag. 102 not. lin. penult. lege IDEM HOEPFNERVS.

Pag. 114 marg. leg. spei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0084
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0087
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0089
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0091
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86221548X/phys_0092
DFG

ria pro omnibus beneficiis, corporalibus & ſpiritualibus, bene-
Veritatis, advenire jubeat regnum Jeſu Chriſti, defendat
ra omnem mantiam inimici, & concedat omnibus ſuis ſanctis
tum in ſempiternam requiem vitæ glorioſæ! Amen.

ittore Coromandelino
e 30. Junii ſt. n.

Benjaminus Schulzius,
Miſſionarius Evangelicus.

: *quoniam ita huic linguæ famam conciliavit, exoticarum linguarum*
s *eam commendavit, atque obſervationibus ſuis inſtructos, exci-*
eampum deducit ampliorem, quem noſtræ aperiunt inſtitutiones.
uiſſet, ut Vir Nobiliſſimus Verba Hindoſtanica characteribus Perſicis
itque illorum addidiſſet pronunciationem. Fortaſſis etiam non de-
nendet ea, quæ in compoſito ab illo Decalogo, Symbolo Apoſtolico
Dominica a ſtructuræ Hindoſtanicæ regula aliena eſſe video.

I. N. J.